MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80846-2

AUTHOR:

KOHTS, R.

TITLE:

DE REDITIBUS TEMPLO-
RUM GRAECORUM

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1869

Master Negative #

92-80846-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dissertation

Kohts, R

De reditibus templorum Graecorum

Göttingen 1869

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM

REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10/1/93

INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

92-80846-2

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: Kohts, R

De reditibus templorum

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

______ Page(s) missing/not available: ______

______ Volumes(s) missing/not available: ______

✓ Illegible and/or damaged page(s): pp. 5 - 14


______ Page(s) or volumes(s) misnumbered: ______


______ Bound out of sequence: ______

______ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: Best copy available

______ Other: ______

BEST COPY AVAILABLE





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910



301/587-8202

Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

REDITIBUS TEMPLORUM GRAECORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

R. KOHTS.

GEDANENSIS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMIA HUTHIANA.

MDCCCLXIX.

VIRIS AMICISSIMIS

HERMANNO HEINZE,

HENRICO GELZER,

OTTONI BENECKE.

PAGES DAMAGED

5-14

Quantae divitiae fuerint templorum Asiae, neminem, qui
rabonis opera negligenter modo pervolverit, effugere potest.
a edocemur, Jovis templum [1]) in Morimena praeter alias opes
m multos agros possedisse, ut sacerdos ex eis per singulos
nnos quindecim talenta caperet, et similia nobis multis locis
aliis fanis traduntur, ut de delubro Comanensi [2]) in Cappa-
ocia sito, et de templo Comanensi Pontico [3]). — Aliis omis-
s [4]), afferre liceat, quae Lucianus de templo magnae matris
ierapolitano narrat: omnium enim, ait, quae vidisset, divi-
rum causa, illud primum fuisse, nam undique, et ex Arabia
e Cappadocia, et a Babyloniis et a Phoenicibus opes eo
nfluxisse [5]). Quae quum ita sint, de ingenti sacerdotum et
nctorum hominum, qui muneribus sacris fungebantur numero,
x est, quod miremur, nam satis superque omnibus illis tem-
orum divitiae vestitum caeteraque, quae opus sunt ad victum
aebebant. Quam multi homines sancti unicuique templo, ad-
odum celebri, praefuerint, apparet ex Luciani libro „de Syria
a", ubi plus trecentis sacerdotibus, quorum alii hostias im-

---

[1]) Strabo XII, p. 537. *ἐν τῇ Μοριμήνῃ τὸ ἱερὸν τοῦ ἐν Οὐηνά-
ς Διός, ἱεροδούλων κατοικίαν ἔχων τρισχιλίων σχεδόν τε καὶ χώραν
ὰν εὔκαρπον παρέχουσαν πρόσοδον ἐνιαύσιον ταλάντων πεντεκαίδεκα
ἱερεῖ.*

[2]) Strabo XII, p. 535.

[3]) Strabo XII, p. 557.

[4]) cf. De Albanis Strabo XI. p. 503, de Leucotheae templo in
chica regione sito XI, 498; de Anaitidis templo in urbe Lela s.
559; de Nanaeae templo in Elmaide Josephus Antiq. XII, 9;
que de templo Hierosolymitano Ant. XIV, 4.

[5]) cf. Lucian de Syria dea c. 10.

molassent, alii libamina tulissent, ad sacrificandum accessiss ac praeterea satis magnam multitudinem tibicinum, fistulator et Gallorum adfuisse refertur [1]).

Nec facile quis parem aut similem in ullo, ne in ipso q dem celeberrimo Graeciae delubro numerum inveniri posse co tenderit, — multa tamen nomina, quibus personae sacrae sig ficantur, eum haud parvum fuisse demonstrant.

Sic fortasse ex eis, quae leguntur in Luciani Alexandro colligere possumus ab oraculis valde frequentatis in majo urbes exploratores missos fuisse, qui de omnibus, quae in il gestae essent, rebus, de periculis, quae illis imminerent, qu celerrime templi sacerdotes certiores facerent, eosque de int rogationibus responsionibusque dedocerent, priusquam legati bium vel civitatum oraculum adiissent.

Periegetarum quoque, qui et ipsi homines erant sac fuisse arbitror, ut sententias peregrinorum, oraculum petenti explorarent sacerdotibusque nunciarent.

Jam si non tantum honeste, ut dignitatem ordinis sui t rentur, vitam degisse sacerdotes Graecos, sed saepius eti opes sibi collegisse constat, unde illae divitiae confluxeri investigare fortasse operae pretium est.

Perlegas Homeri Iliadem, duo ibi sacerdotes, Chrys dico, et Darem, divitiis excellentes commemorantur, quor poeta alterum [3]), filiam a Graecis captam e servitute redemp

---

1) *Ἱρέες δὲ αὐτοῖσι πολλὰ ἀποδεδέχαται, τῶν οἱ μὲν ἱρήια σφάζ σι, οἱ δὲ σπονδηφορέουσι, ἄλλοι δὲ πύρφοροι καλέονται, καὶ ἄλ παραβώμιοι· ἐπ' ἐμεῦ δὲ πλείονες καὶ τριηκοσίων ἐσ τὴν θυσ ἀπικνέοντο.*

De magno sacerdotum numero conferas quaeso, quae de E in litteris sanctis traduntur. Elias enim quadringentos quinquagi sacerdotes dei Bal interfecisse dicitur, cf. *Βασιλ, γ.* 18. p. 444. (Tischd.) deinde cf. *δ* 10. p. 470.

2) *Πευθῆνας μέντοι ἐν αὐτῇ Ῥώμῃ κατεστήσατο πάνυπολλοὺς συνομοτῶν, οἳ τὰς ἑκάστου γνώμας διήγγελον αὐτῷ καὶ τὰς ἐρώτη προεμήνυον καὶ ὧν μάλιστα ἐφίενται, ὡς ἕτοιμον αὐτὸν πρὸς τὰς κρίσεις καὶ πρὶν τοὺς πεμπομένους καταλαμβάνεσθαι.*

3) Il. I, v. 13. *Λυσόμενός τε θύγατρα φέρων*
τ' ἀπερείσι' ἄποινα

n *ἀπερείσι' ἄποινα* afferentem fingit, alterum Hephaesti et upletem et probum sacerdotem nominat [1]).

Si quis, quum saepissime sacerdotes e gentibus nobilibus Delphio *ὅσιοι* qui dicuntur a Deucalione originem trahebant) demque ditissimis legerentur, verisimile esse opes per hereatem ad illos pervenisse dixerit, ex locis quibusdam eum n omni ex parte recte judicasse apparet. Veneris enim Paiae templum, apud omnes in honore et divitiis ornatum fuisse, Plutarchi Catone (Uticensi) minore audimus [2]). Cato enim odii maxime opera desperantis, se illo praesente Ciceronem primere posse, utpote vir sanctissimus, prudentissimus, forsimus, rei publicae amantissimus [3]), in Cyprum missus, ut olemaeo hujus insulae regi imperium abrogaret, exsulesque inde Byzantium reduceret [4]), Canidio amico praemisso illum onuit, ut sine proelio pugnave Romanorum armis cederet, cturum enim eum vitam neque opum neque honorum indigam, uippe quum populus R. deae sacerdotium ei concessurus esset. uid? nonne ex templi illius reditibus satis multas pecunias acerdotes cepisse apparet? Et, non solum ex agris deis eo onsilio dedicatis, ut fructus inde collecti ad usus adhiberentur acros, illam divitiarum copiam exstitisse facillime nobis persuaetur, considerantibus Apollinis oraculum Delphicum, quum reiones circa illud positae montuosae et saxuosae nihil fere nisi elleborum procrearent, ita ut in ore hominum verba essent: *Δελφὸς ἀνὴρ στέφανον μὲν ἔχει, δίψει δ' ἀπολωλώς,* quae xplicantur, *ἀντὶ τοῦ, τῶν δὲ ἀναγκαίων ἀποροῦσι,* antiquitus ivitiis opibusque floruisse; ab illo enim templo, Hippia tyanno, Alcmaeonidae pecunias haud parvas mutuas sumpserunt [5]),

---

1) Il. V, 9, 10. *Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δάρης, ἀφνειὸς ἀμύμων*
ἱρεὺς Ἡφαίστοιο.

2) Cato M. c. XXXV. *Κανίδιον δέ τινα τῶν φίλων προπέμψας εἰς Κύπρον ἔπειθε τὸν Πτολεμαῖον ἄνευ μάχης εἴκειν ὡς οὔτε χρημάτων οὔτε μῆς ἐνδεᾶ βιωσόμενον· ἱερωσύνην γὰρ αὐτῷ τῆς ἐν Πάφῳ θεοῦ δώσειν ὸν δῆμον.*

3) Cicero de domo s. §. 20.

4) Ibid. §. 52.

5) Demosthenes in Midiam 561, 17.

ab illo Lacedaemonii, ineunte bello Peloponnesiaco se adjut iri sperabant, ab illo denique Graecis in coloniis deducen omni modo et consilio et re auxilium ferebatur [1]).

Unde igitur, quaerimus, Apollinis servi sacri, ut ita cam, tanta sibi bona, et tantas sibi fortunas quaerere pot runt?

Deus ipse, Cretenses, sacerdotes suos futuros, Delpl ducens indicare videtur. — Cretensium enim dux ubi prim vidit steriles et maceres agros sollicitus deum pythium inter gat [2]):

Ὦ ἄν᾽, ἐπειδὴ τῆλε φίλων καὶ πατρίδος αἴης
ἤγαγες. οὕτω που τῷ σῷ φίλον ἔπλετο θυμῷ·
πῶς καὶ νῦν βιόμεσθα; τό σε φράζεσθαι ἄνωγμεν
οὔτε τρυγηφόρος ἥδε γ᾽ ἐπήρατος, οὔτ᾽ εὐλείμων
ὥστ᾽ ἀπό τ᾽ εὖ ζώειν καὶ ἅμ᾽ ἀνθρώποισιν ὀπηδεῖν

Ad quae leviter subridens Apollo respondet:

νήπιοι ἄνθρωποι, δυστλήμονες, οἳ μελεδῶνας
βούλεσθ᾽, ἀργαλέους τε πόνους καὶ στείνεα θυμῷ·
ῥηίδιον ἔπος ὔμμ᾽ ἐρέω καὶ ἐπὶ φρεσὶ θήσω·
δεξιτερῇ μάλ᾽ ἕκαστος ἔχων ἐν χειρὶ μάχαιραν,
σφάζειν αἰεὶ μῆλα· τὰ δ᾽ ἄφθονα πάντα παρέσται.

Secespitam igitur manibus tenentes victimas ad ipsos a aliis deductas immolare et reliquum cultum exsequi deus ec jubet.

Similiter Euripides Ionem loquentem facit [3]):

βωμοί μ᾽ ἔφερβον οὑπιών τ᾽ ἀεὶ ξένος.

Huc etiam referendum videtur quod ad Vergilii Aen. l. IV v. 377. affert Servius, qui quum explicare velit, cur Apol sit Lycaeus nominatus, lupum illi deo primum post interemptu Pythonem, ex eo loco, qui Tempe appellatur, aurum attuliss dicit; quorum verborum sensum optime interpretari mihi vid tur E. Curtius [4]), qui per lupos errantes homines scelerato

[1]) cf. E. Curtius gr. Geschichte. I, p. 468. edit. III.
[2]) Hymnus in Apoll. v. 530 ss.
[3]) Eurip. Jon. v. 322.
[4]) E. Curtius griech. Geschichte. I. p. 470. ed. III. — Parit Ulrichs (in libro „Reisen und Forschungen in Griechenland“ I. p. 6

parricidio obstrictos significari, ait, oraculum petentes, ut ficiis factis a sacerdotibus conscientiae angore liberarentur.

Qua sorte a deo ipsis destinata sacerdotes contentos fuisse ntaneum est; eamque non aegre eos tulisse, intelligi pot- ex eis, quae leguntur in Luciani libro, qui inscribitur laris alter“, ubi scriptor sacerdotem quendam, haec fere tantem facit [1]).

In praeruptis nos habitare saxaque nos arare, nihil est, l Homerus nos doceat, quippe quum has res semper videre imus.

Vix, ac ne vix quidem agrum colendo vitam tolerare pos- us, summa semper cum fame essemus.

At templum et Pythius et oraculum, et mactantes et reli- i homines, hi sunt Delphorum agri hi reditus, hae nostrae tiae, hinc alimenta; neque aramus neque sementem faci- , tamen optime omnia proveniunt, nam agrum nostrum colit, qui non solum, quae apud reliquos Graecos nascun- bona nobis praebeat, sed quaecunque apud Phryges, Lydos, as, Assyrios aut Phoenices aut Italos gignuntur. Qui n colit et nos colit; itaque omnibus rebus abundamus et i sumus. Utinam semper ita vivere possemus. — Nemo- quominus sacrificaret vel dedicaret aliquid prohibitus est, ic factum esse arbitror, ut templum ita sit auctum omni- que rebus abundet. Non nostrum est, unde, a quo, et ia sint, quae mittantur, inquirere; omnia grata nobis . —

Concedimus quidem, non omni ex parte a Luciano verita- esse servatam, tamen, quin recte ab eo imago sacerdotis, s tum fuerit, expressa sit, vix dubitem. —

Qua de causa verbum illud quod de monachis mediae tis (quae nominatur) usurpari solet:

„Unter dem Krummstab ist gut wohnen“ aliquo modo n ad Graecorum sacerdotes transferri potest.

m „lupus“ explicat, et p. 69 ex proverbio: „*ὁ λύκος ἀντάραν* apparere, dicit, lupum saepius de mala conscientia intelligi. Cf. e Ullrichs l.l. p. 70, ubi *φοῖβος* idem valere, ac „purus im- us“ demonstratur.
Phalaris alter c. 8.

Hoc igitur constat, non parvum fructum sacerdotes e crificiis percepisse. — Causa vero sacrificandi immola quae fuerit, si inquirimus, homines sine dubio deos, bon participes factos, propitios ipsis futuros esse credebant, n

δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδαίους βασιλῆας [1].

Porphyrium igitur aut potius Theophrastum [2] (a P.) si s mur, qui terrae fruges arborumque fructus priscorum hom cibum fuisse dicit, etiam sacrificia antiquissima eisdem ex r composita fuisse, negare non possumus.

Quocum consentiunt, de quibus idem ille Porphyrius mippo auctore certiores nos facit [3]. Triptolemum Ather sium vetustissimum legum latorem inter alias et has tres l tulisse: parentes honorare, deos fructibus colere, et anin non laedere.

Nec Theophrasti verba huic sententiae obstant.

Loco enim illo supra allato non myrrhas vel casias ab hominibus esse oblatas, sed herbam ipsam, quam v quandam feracis naturae lanuginem decerpsissent, explica Procedente vero tempore, quum fructibus arborum et t homines vescerentur, ex eis quoque pauca, propter alen penuriam, deis esse consecrata.

Cujus moris vestigia etiam posterioribus Graeciae tem bus inveniri possunt. Fructuum enim omnium, quos me rant homines, partem aliquam, quam *ἀπαρχάς*, primitias v bant, deis consecrare solebant, ex manipulis frugum et a cis collectam [4].

Offerebantur imprimis Cereri [5], cui, ut frugum inver homines primae sacrificasse dicuntur [6], hae primitiae, c quibusdam diebus festis, quae *Θαργήλια* nominabantur.

Apollini et Dianae talia annua sacra non solum a Gr sed etiam ab Hyperboreis in Delon insulam mittebantur, a Callimacho in hymno *εἰς Δῆλον* v. 278 *ἀπαρχαὶ δεκατ*

---

1) Hesiod. b. Suidas.
2) Porphyrius de abstinentia II, 5.
3) Ibid. IV, 22.
4) cf. Porphyr. de abst. II, 16 s. f. II, 34 s. f.
5) Theocrit. Id. VII, 31.
6) Porph. l. c. II, 5.

et quae, ut ex versibus proximis apparet constabant ex is vel aliis fructibus [1]).

Ut vero singulae quaeque urbes deis suis indigitibus has itias dedicarunt, ut exempli causa, Troezenii [2]) Poseidoni e deo patrio hanc fructuum partem consecrarunt, ita ab bus Graeciae civitatibus Apollini Pythio communi omnium solvebantur tales *ἀπαρχαί*, vel decimae, ut aliquo jure nari possunt. —

Decimae enim fructuum, imprimis a coloniis, quae pecu- aliave ratione a templo Delphico adjutae erant, solveban- — Ita Apolloniae, Metaponti, Myrinae, Rhegii et alia- urbium fruges Delphis conspici potuerunt. — Adnotandum sse est, postea pro frugibus ipsis, artificium quoddam fir- et aeternum, quod idem atque illae pretium habuit deo ecratum esse, quod, ut inter omnes constat, *χρυσοῦν θέ-* nuncupabatur.

In inscriptionibus quibusdam [3]) Athenis repertis, quibus inentur res sacrae *στάχυες Δ* commemorantur; ita apud ngabeum inscr. no. 108. l. 9. *λήιον χρυσοῦν στάχυες Δ II.* C. J. 139), deinde inscr. 109. l. 4. *στάχυες Δ II.* (= Boekh. onom. Athen. II, 183.) denique no. 110. et l. 10. et l. 96. *χυες Δ I*). = Boeckh. Oecon. II. p. 171. — *λήιον* enim e pro eo, quod habet Rhangabé *λεῖον* a Boeckhio esse ptum apparet.

Alterum illud verbum vix ac ne vix quidem intelligi pot- Rhangabeus quidem hanc vocem interpretaturus *λεῖα* numero plurali) idem esse ac *λαιαί* vel *λαές* ait; *λεία*

) De Hyperboreorum sacris Delum missis cf. Augusti Meineke tationem ad Callimachi hymnum in Delum v. 283. Illustris ille tiam alium Callimachi versum ex incerto carmine servatum:

Ῥιπαίου πέμπουσιν ἄπ οὔριος, ἦ χι μάλιστα
ος ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐπιτέλλεται ἱροῖς huc pertinere censet.

) Plut. Thes. c. VI, §. 1. *Ποσειδῶνα γὰρ Τροιζήνιοι σέβονται δια- ντως καὶ θεὸς οὗτος ἐστιν αὐτοῖς πολιοῦχος, ᾧ καὶ καρπῶν ἀπέρ- αι*, —

) Boeckh. Oec. Athen. II, p. 163 sqq. — Rhangabé Antiqu. no. 108—110. —

vero vel *λέα* vel *λαιά* pondus est, quo textores uteban
Sed ut mittam me valde dubitare quin a Rhangaleo, vi
inscriptionibus valde merito locus inveniri possit, ubi ve
λεῖον eodem sensu usurpatum sit ac *λεία*, vel *λεῖα* ac
vix pretium talis oblationis omissum fuisse puto, quum s
fere in hisce inscriptionibus additum sit. –

Placet igitur Boeckhii emendatio *λήιον*; *λήιον* vero,
bum haud ita raro a scriptoribus usurpatum, aut segetem
spicas frumentarias aut agrum frumentarium denotat [2]).

Quae si recte disputata sunt, ne alterum quidem vo
lum *στάχυες* recte explicatum est a Rhangabeo [3]), qui *στ*
ornamenta aurea esse spicarum instur facta dicit. —

Equidem hoc *λήιον περίχρυσον*, *στάχυες Δ Ι* vel
intelligendum esse de oblatione illa, quam *χρυσοῦν θέρος*
minatam esse diximus, arbitror. —

Quomodo formatum fuerit illud *χρυσοῦν θέρος* paull
in ambiguo esse possumus; aut undecim vel duodecim s
aureas manipuli instar collectas fuisse, quae est Boeckhii
tentia, verisimile est, aut arvum ipsum (frumentarium), in
fructus illi videbantur, ex auro fictum, in Parthenone col
tum fuisse, conjecerimus.

Palladi igitur pari modo atque Apollini tales fructuum
cimas ab Atheniensibus eorumque sociis consecratas esse
paret.

Postea ex omnibus fere rebus decimae deis consecraba
vel ex lucro mercatorio vel ex bonis publicatis vel ex me
vel denique ex rebus bello captis.

De qua re postea disseremus. Jam paullo accuratiu
quiramus, quinam fuerint reditus templorum; ac primum
dem de eis, qui e rebus immobilibus, ex agris vel ex d
bus capiebantur, quaedam afferre nobis liceat. —

---

1) Aristot. gen. anim. I, 4. V, 7. *Καθάπερ τὰς λαιὰς προσάπ σιν αἱ ὑφαίνουσαι τοῖς ἱστοῖς.* Ttym. magn. *Λέα, ἡ ἐν τοῖς ἱ λίθος·* etc. Hesych. *Λεάς, τὰς ἀπὸ τῶν ἱστῶν κρεμαννυμένας ἀκρ*

2) Apud Homerum saepius invenitur ut Il. II, 147.
ὡς δ' ὅτε κινήσῃ, ζέφυρος βαθὺ λήιον.

3) Rhgb. A. H. I, p. 155.

Primum igitur deis certas agrorum portiones homines
re solebant, quae a Graecis *τεμένη* appellabantur. He-
us enim illud verbum explicaturus: *τέμενος*, ait, *πᾶς ὁ*
ισμένος τόπος τινί εἰς τιμὴν, ἢ ἱερὸν καὶ βωμὸς ἀπο-
ὲν θεῷ ἢ βασιλεῖ [1]), et, ut agrum Aegyptiacum anti-
inter sacerdotes et milites et reges divisum fuisse [2]) im-
sacerdotibus militibusque agrorum possessione ita Cicero [3])
Graecos quoque agros immortalium deorum exceptos fuis-
ge censoria dicit. — Plato in libro illo, quem de legibus
ripsit, V. p. 738 d; agros inter omnes quidem cives dis-
, certam vero partem, cujus e reditibus sacra fierent,
m esse vult.

Ex inscriptione quadam posterioris sane aetatis, eundem
morem imperatorum temporibus exstitisse scimus. Qui
s inest in C. J. no. 4774 et pertinet ad templum Jovis,
n pago Boetocaeca haud procul ab Apamaea urbe sito co-
ır. Est vero epistola regis Antiochi, qua decernitur, agros
fines satrapiae Apamensis sitos, esse dei illius, ut ex eis,
inde caperentur pecuniae, sacra menstrua fierent et cultui
retur pristinus honos. —

Praeterea fieri solebat, ut hostibus victis a victoribus por-
uaedam terrae expugnatae deis dedicaretur. Cujus rei

Cf. etiam alteram Hesychii glossam *τεμένη· ναοὶ ἄλση· ἀφωρισμένα κατὰ τιμὴν χωρία.*

cf. Herod. II, 168. *ἄρουροι ἐξαίρετοι δυώδεκα ἑκάστῳ ἀτελέες ουρα* etc. Ceterum de sacerdotibus Aegypt. conferas librum clrr. anni „historisch antiquarische Untersuchungen über Aegypten Inschrift v. Rosette. Königsberg 1823, imprimis p. 158. —

Cicero de nat. deor. III. §. 49. „An Amphiaraus deus erit et onius“? nostri quidem publicani, cum essent agri in Boeotia m immortalium excepti lege censoria, negabant immortales esse qui aliquando homines fuissent.

ἐκρίθησαν συγχωρηθῆναι αὐτῷ (Διὶ) εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον, ἐφ' ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ κατέρχεται, κώμην τὴν Βοιτοκαικηνῶν, ἣν ν ἔσχεν, Δημήτριος .... ἔντος ὁρίων τῆς περὶ Ἀπαμείαν ίας σὺν τοῖς συγκυροῦσι καὶ καθήκουσι πᾶσι κατὰ τους πρου- ας περιορισμοὺς καὶ σὺν τοῖς τοῦ ἐνεστῶτος ἔτους γεννήμασιν, ἀπὸ ταύτης πρόσοδος ἀναλίσκηται εἰς τὰς κατὰ μῆνας συντελου- σίας καὶ τ' ἄλλα τὰ πρὸς αὔξησιν τοῦ θεοῦ συντείνοντα.

exempla quaedam satis nota a veteribus scriptoribus nob
feruntur. Sic Athenienses devictis Chalcidensibus [1] t
quae Hippobotas dicebatur , in duo milia sortium di
colonis assignarunt, Minervae templis in campo, quem I
tum vocant dedicatis, sic Lesbo capta ex fundis inter ter
sortes divisis trecentas adeoque decimas deis consecraru
et Democleides, deducta colonia Brea, agros, qui antea
rum fuerant, in posterum quoque sacros esse voluit [3].

Tum, quum moris fuisse videatur, ut si terra cler
distribuebatur, deis certa et definita pars consecraretur, e
scriptione insulae Sami [4], *ὅρος τεμένους Ἀθηνᾶς Ἀθ*
μεδεούσης. fortasse concludi posse Boeckhius censet hunc
lum ab Atheniensibus esse dicatum quo tempore clerucho
Samo collocarunt; cui explicationi formae ionicae aliqu
parte obstant. —

Similem inscriptionem Aegineticam *τεμένους Ἀθη*
idem vir ill. ab Atheniensibus cleruchis aetate belli Pelep
siaci esse collocatam judicat [5].

Brasidas deinde, postquam Lecythum oppidum di
pugnatum tandem denique occupavit, totam illam regi
Minervae sacram esse voluit. Thucydides III, 116 ita de
re loquitur:

ὁ δὲ Βρασίδας, νομίσας ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ ἢ ἀνθρω
τὴν ἅλωσιν γενέσθαι, τάς τε τριάκοντα μνᾶς τῇ θεῷ (Ἀθ
ἀπέδωκεν ἐς τὸ ἱερὸν καὶ τὴν Λήκυθον καθελὼν καὶ ἀνα
άσας τέμενος ἀνῆκεν ἅπαν. Eodem igitur nomine, *τέμ*
quo agri, qui unicuique templo, simulac conditum est, de
sunt, hos quoque significatos esse apparet. —

Nec omittenda sunt hoc loco [6] quae de Polycrate ty
pluries commemorantur. Qui quum classe maritimisque

---

1) cf. Aelian. V. H. VI. 1.
2) Thuc. III, 50.
3) cf. Rh. A. H. 785. b. l. 10. et Sauppe Abhandl. d. s, Ww, 1853. p. 33 fl.
4) C. J. 2246.
5) C. J. II. p. 1101 in Add. et Corrig. 2638.
6) Thuc. I, 13. III, 104. Paroemiogr. Gottg. Zenobiu VI, 15. Schol. z. Theocrit. Id. XVII. 70.

permultum valeret, et omnes fere insulas maris Aegei, quod nominatur, sub imperium suum subjunxisset, Rheneam insulam Apollini Delio donum offerebat.

Postea, quanta inde emolumenta templum illud clarissimum ceperit videbimus.

Docemur denique ex Aeschinis [1]) oratione in Ctesiphontem habita devictis Cyrrhaeis, qui templum Delphicum despoliaverant, Amphictyones, Apollini, Artemidi, Latonae Minervae ea sane condicione consecrasse Cyrrhaeam terram, ut in omne tempus tota illa regio inculta vacaret. Quum tamen Aeschinis aetate Locri Amphissenses hanc terram colerent, portuque devoto uterentur, ita ut quicunque Delphos petivissent, vectigal pondere cogerent, Theophrasto archonte (Ol. 110, 1.) hieromnemones fines agrorum sacrorum determinari jusserunt [2]. Resistentibus Locris ab Amphictyonibus adversus eos bellum decretum est. Sed unde oratio nostra deflexit, redeamus. — Thebani [3]) Plataeis devictis urbeque cum solo adaequata magno deversorio et grandi templo condito, Junoni illam regionem offerebant. Non dubito, quin saepissime etiam alias similia dona conservata sint, quamquam equidem eorum non memini. Templa enim ob res feliciter gestas, vel ob bonum aliquem eventum condita, quae sunt permulta, non enumero, quum concedam cum aede agros quoque deis esse dedicatos. — Sic verisimile mihi videtur Gelontem pugna contra Carthaginienses feliciter commissa Demetri et Persephonae praeter templa etiam *τεμένη*, agros sacros, conservasse [4]). Aliis vero locis apparet,

---

1) cf. Aesch. in Ctesiph. §. 107 u. 108—110 sqq. *καὶ αὐτοῖς ἀναιρεῖ ἡ Πυθία πολεμεῖν Κιῤῥαίοις καὶ Κραγαλίδαις παντ᾽ ἤματα καὶ πάσας νύκτας καὶ τὴν χώραν αὐτῶν ἐκπορθήσαντας καὶ αὐτοὺς ἀνδραποδισαμένους ἀναθεῖναι τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Λητοῖ καὶ Ἀθηνᾷ προναίᾳ ἐπὶ πάσῃ ἀεργίᾳ καὶ ταύτην τὴν χώραν μητ᾽ αὐτοὺς ἐργάζεσθαι μητ᾽ ἄλλον ἐᾶν* et postea 109: *καὶ συναθροίσαντες δύναμιν ἱκανὴν τῶν Ἀμφικτυόνων ἐξηνδραποδίσαντο τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὸν λιμένα ἔχωσαν καὶ τὴν χώραν αὐτῶν καθιέρωσαν κατὰ τὴν μαντείαν.*
2) Dem. de corona. §. 149 sqq.
3) Thuc. III, 68.
4) Diodor. XI. c. 26. §. 6.

non nisi de aede ipsa sermonem esse [1]). — Augebatur tum templis possessio agri praescriptorum bonis, quorum decima pars, quantum quidem ex eis, quae nobis tradita sunt colligere licet, deis dabantur. —

Nec difficile est intellectu, quomodo hic mos, de quo imprimis ab oratoribus Atticis edocemur exortus sit

Quum enim sit imperii popularis (*δημοκρατίαν* dico) ut cives omnes etiam pauperes pari modo rem publicam capessant, quominus quam diutissime maneat populare illud imperium valde avaritia hominum nihil nisi pecunias appetentium impeditur [2]).

Haec igitur avaritia quam maxime legibus est coercenda, et ob eam causam bona damnatorum non sunt publicanda aut inter cives distribuenda sed pro sacris habenda.

Praeclara sunt Aristotelis verba, quae leguntur in Pol. VI, 3: *μηδὲν εἶναι δημόσιον τῶν καταδικαζομένων καὶ φερόντων πρὸς τὸ κοινὸν ἀλλ' ἱερόν.* — Alia praeterea causa summum philosophum ut ita loqueretur sine dubio movebat; primum enim sic effici putabat, ut neque plebs, si nulla in ipsum ex damnatione emolumenta redirent, nimis leviter accusatoribus indulgeret et homines isti perditissimi, *δημάγωγοι*, qui vocantur, qui non tam rei publicae quam sua commoda spectabant, bonis inter cives pauperes divisis, auram popularem possent captare [3]). —

Athenis igitur decima tantum pars bonorum publicatorum Minervae, quinquagesima vero reliquis deis consecrabatur. — Supplicio puniebantur et bonorum publicatione, quicunque novas res gestabant, quicunque denique proditionis sunt damnati ut Andocides in oratione *περὶ μυστηρίων* habita tradit [4]). — Sic

---

1) cf. Ex. g. C. J. 2117, ubi agitur de templo a Xenocleide condito.

2) cf. Friedr. Kortüm. zur Geschichte hellenischer Staatsverfassung. —

3) Antiquioribus temporibus Romae hanc legem valuisse multis e locis apparet, quos affert Meierus in libro „de bonis damnatorum" inscripto. p. 165. —

4) Andoc, *περ. μυστ.* §. 48 et 49. *ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Ἀθήνησιν, ἢ ἀρχήν τινα ἄρχῃ καταλελυμμένης τῆς δημοκρατίας πολέμιος ἔστω Ἀθηναίων καὶ νηποινί τεθνάτω καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔστω καὶ τᾶς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον.*

postquam Antiphonti post dissolutam quadringentorum tyrannidem cum Archeptolemo in jus vocato et condemnato, poena modo commemorata est irrogata; interfecti corpus insepultum abjectum est; decretum enim erat a Theopompo, ut, qui ab imperatoribus significati essent, legati Spartam damno rei publicae ivisse, Archeptolemns, et Onomacles et Antiphon comprehenderentur et in damnatos ex lege in proditores constituta animadverteretur.

Idem factum est de Phrynicho, ut corpus ejus inhumatum e terra Attica ejiceretur, domus dirueretur, bona publicarentur. Cujus rei praeter alios [1]) imprimis scholiasta ad Lysistratae versum 313 mentionem facit: *τῶν ἐν Σάμῳ στρατηγῶν Δίδυμος καὶ Κράτερος ταῦτά φασιν, αἰνίττεσθαι εἰς Φρύνιχον τοῦ Στρατωνίδου; ἐκακοηθεύσατον γὰρ πρὸς τὸν δῆμον ἐν Σάμῳ στρατηγῶν ὥστε ἐψηφίσατο κατ' αὐτοῦ ὁ δῆμος δημόσια εἶναι τὰ Φρυνίχου χρήματα καὶ τῆς θεᾶς* [2]) *τὸ δέκατον μέρος καὶ τὴν οἰκίαν κατεσκάφθαι αὐτοῦ.*

Tum exstat par psephisma Canoni, quod scriptum erat contra Atheniensium duces, qui, quum victores e proelio apud Arginusas insulas comisso decessissent, propter tempestatem subito exortam, sepulturam naufragorum aut in pugna caesorum neglexissent [3]).

Lex enim haec erat Attica, si quis in insepultum cadaver hominis incidat, ut omnino ei terram injiciat [4]). Et apud omnes Graecos summae irreligiositatis habebatur, si quis mortuum non sepeliebat.

Itaque semper cum hostibus victis a victoribus indutiae fiebant, ut cadavera in proelio caesorum rite humarentur. —

Atheniensium igitur duces, ut dixi, ob neglectam sepulturam capitis damnati, eorumque bona publica facta sunt, decima parte Minervac deae collecta. —

---

1) cf. Lycurg in Leocr. 217 et 218 sive 111 etc. —

2) In libris *τοῖς Fεοῖς*, ex Meieri contectura quae recta mihi videtur, scripsi *τῆς θεᾶς*; invenimus enim et in vitt. X oratorum et in Xen. hist. Gr. I, 7, 9 et I, 7. 20 *τῆς θεᾶς ἐπιδέκατον*

3) Xen. Hist. Gr. I, 7, 20.

4) cf. Aelian. V. H. VI, 14.

Quae lex in titulis quoque saepius commemoratur, sic postquam in iuscriptione, quae inest in Rhang. A. H. 381 = Boeckh. Oecon. Athen. in Add. XIX, pluribus expositum est quaenam ratio Athenienses inter et eorum socios esse deberet sequuntur verba: *ἐὰν δέ τις εἴπῃ, ἢ ἐπιψηφίσῃ ἢ ἄρχων ἢ ἰδιώτης παρὰ τόδε τὸ ψήφισμα ὡς λύειν τι δεῖ τῶν ἐν τῷδε τῷ ψηφίσματι εἰρημένων ὑπαρχέτω μὲν αὐτῷ ἀτίμῳ εἶναι καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔστω καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον* etc. — *Ζημιούντων δὲ αὐτὸν θανάτῳ ἢ φυγῇ ὅταν Ἀθηναῖοι καὶ οἱ σύμμαχοι κρατῶσι*; quibus idem fere jnbetur, atque eis quae in Vit. X. oratorum inveniuntur.

Nec in coloniis ab Atheniensibus deductis, similia decreta defuerunt, ut lapides satis memorabiles nos docent.

In inscriptione illa [1]), qua decreta Atheniensium de Brea colonia deducenda centinentur, eadem quae antea poena, commemoratur l. 22: *ἐὰν δέ τις ἐπιψηφίσῃ παρὰ ταῦτα ἢ ἐφίῃ ῥήτορα ἀγορεύειν προσκαλεῖσθαι γράφειν ἀφαιρεῖσθαι ἢ λύειν τι τῶν ἐψηφισμένων ἄτιμον εἶναι αὐτὸν καὶ παῖδας τοὺς ἐξ αὐτοῦ (ἐκείνου) καὶ τὰ χρήματα δημόσια εἶναι καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον ἐὰν μήτι αὐτοὶ οἱ ἄποικοι ἄλλο ψηφίζωνται.*

Nomina eorum, qui tali decreto exsilio vel capitis damnati erant, plerumque in columnis sive lapidibus inscripta fuisse primum liquet ex Plutarchi loco saepius citato [2]), ubi Archeptolemi et Antiphontis domus dirutas, terminosque positos esse cum inscriptione: *Ἀρχεπτολέμου καὶ Ἀντιφῶντος τοῖν προδόντοιν*, narratur, deinde etiam ex inscriptione [3]) Amphipoli reperta, ubi Stratoclem exilio mulctatum ejusque bona, decima parte Apollini et Strymoni deis consecrata, publicata esse legitur. Et si verisimilius est deis non tam agros ipsos dedicatos esse sed pecunias ex eorum venditione solutas, tamen sub finem tituli illius clarissimi vulgo marmor Sandvicense nominati domus aliquot et fabricae recensentur Apollini sacrae, quae antea fuerant in privatorum Deliorum bonis, quae et ipsae ex

1) Rhang. A. H. 785 b. — Sauppe in Abhandlungen d. kgl. s. G. d. Ww. 1853. p. 42.

2) Vitae X orat. Antiphon. 27.

3) C. J. 2008.

publicatione bonorum in dei possessionem pervenerant, ut Boekhius nos docet [1]).

Jam in usu fuisse sacros illos agros elocare praeter alios Plato [2]), qui et quaestores sacrarum pecuniarum singulis templis eligi vult et alios quosdam quorum curae mandaretur; ut agri servarentur fructusque rite locarentur, tradit; referunt etiam Xenophon [3]), aut quisquis est auctor libelli illius „de vectigalibus“, et Isocrates in Areopagitico 29 et 30: *οὐδ ὁπότε μὲν δόξειεν αὐτοῖς τριακοσίους βοῦς ἔπεμπον ὁπότε δὲ τύχοιεν, τὰς πατρίους θυσίας ἐξέλειπον οὐδὲ τὰς μὲν ἐπιθέτας ἑορτὰς αἷς ἑστίασίς τις προσείη μεγαλοπρεπῶς ἦγον, ἐν δὲ τοῖς ἁγιωτάτοις τῶν ἱερῶν ἀπὸ μισθωμάτων ἔθυον*, unde locationis reditus (*ἀπ. μισθ.*) impensos fuisse sacrificiis in templo aliquo faciendis [4]) liquet, nam verba, quae sunt *ἀπό τε μισθωμάτων* idem valent ac *ἐκ τῶν τεμενικῶν προσόδων*, ut Harpocration, Didymo auctore, ait s. v. *ἀπὸ μισθμάτοων· Δίδυμός φησιν ὁ γραμματικὸς ἀντὶ τοῦ ἐκ τῶν τεμενικῶν προσόδων· ἑκάστῳ γὰρ θεῷ πλέθρα γῆς ἀπένεμον, ἐξ ὧν μισθομένων αἱ ἐς τὰς θυσίας ἐγένοντο δαπαναί.*

Jam ex tabulis Heracleensibus, quae vulgo nominantur, quonam pacto agri dei Bachi locati sint conspicitur. Constitutum erat, ut praedibus in quinquennium datis conductores quotannis certum modum, CCCX medimnos, hordei aliorumque fructuum [5]) in publicum horreum afferrent. Conductio fit in perpetuum [6]), ita tamen, ut si quis conductorum improles vel intestato moriatur, civitati solida perceptio sit [7]). Praeter alia

1) cf. C. J. 158; — Boeck. oecon. Athen. II, p. 78—108; huc pertinent imprimis p. 107. §. 10: *οἰκία ἐν Κολώνῳ, ἣ ἦν Εὐφάντου, ᾗ γείτων Ἄλεξος· τὰ κεραμεῖα, ἃ ἦν Εὐφάντου* etc.

2) Plato legg. VI. p. 759.

3) Xenophon de vectigall. 4, 19: *μισθοῦνται γοῦν καὶ τεμένη καὶ ἱερὰ καὶ οἰκίας καὶ τέλη ὠνοῦνται παρὰ τῆς πόλεως.*

4) cf. Boeckh. Oecon, Ath. I, 296.

5) *τελέσματα σιτικά* vel *σιταῖα* invenies etiam apud Lebas Voy. arch. no. 32. l. 8. et no. 323.

6) l. 50. *ἐμισθώθη ὡς ἔχει κατὰ βίον.*

7) l. 102. *μισθῶντι ἱαρῶς χώρος τὼς τῶ Διονύσω ἔχοντας ὡς ἔχοντι κατὰ βίω* (per totam vitam) etc. *καθὰ οἱ Ἡρακλεῖοι διέγνωσαν* etc.

multa, quae insunt in hac priore inscriptione, quibus accuratissime describitur, quomodo quis terram a se ipso conductam alii tradere possit, sequuntur denique officia, quae unicuique conductorum injuncta sint; quibus qui defuerit obnoxius esto ac si violasset terram sacram; sacrae enim terrae violatio par est habita impietati et sacrilegio, quod facinus severissime vel morte puniebatur [1]); nam Aelianus Var. hist. V, 17 Athenienses eum, qui vel parvam ilicem e luco herois excidisset, summo supplicio mulctasse [2]) narrat.

Definitur igitur in illo titulo et numerus olearum, quas conductoribus plantare jus fuerit, et quibusnam in regionibus vites coli possint [3])· Nec cuiquam arenaria fodere, nisi quatenus aedificationis in ipsa terra sibi locata ratio exigeret, neque lautumnias facere licuit.

Altera inscriptio Heracl. in qua agitur de agro Minervae Poliadis satis magno, ut ex mercedibus et dimensionibus locorum locatorum dignoscitur, quum satis mutila sit, similes ac prior titulus condiciones videtur continuisse. — Sane mirari possumus, quod non tam in templi aerarium mercedes afferebantur, quam in publicum horreum, quum tamen alias ab eis, qui templis praeerant agri sacri locarentur et vectigalia acciperentur, ut ex marmore Sdvc. [4]) apparet, ubi Amphictyones rationem reddunt pecuniarum a se certo quodam temporis spatio acceptarum. — Quod idem altera inscriptio Deliaca, quam Boeckhius accuratissime tractavit, nos docet [5]). —

Quae quum ita sint, non dubitaverim, quin Heracleae certa quaedam pars redituum ex sacris agris captorum ad templa reddita sit, vel quin stipendium sacerdotibus ex aerario publico praebitum fuerit tale, ut honeste et pro ordinis dignitate vivere potuerint. —

---

1) Xen. Mem. I, 2, 62. *κατὰ γὰρ τοὺς νόμους ἐάν τις φάνερος γένηται κλέπτων .... ἢ ανδραποδιζόμενος ἢ ἱεροσυλῶν τούτοις θάνατός ἔστω.*

2) *ὅτι τοιοῦτον ἦν Ἀθηναίοις δαισιδαιμονίας εἴ τις περινίδιον ἐξέκοψεν ἐξ ἡρῴου ἀπέκτειναν αὐτόν.*

3) l. 136.

4) l. 1. *τάδε ἔπραξαν Ἀμφικτύονες ἀπὸ τοῦ* etc.

5) Boeckh. Abhandlungen der Berl. Academie 1834.

Plerumque praeterea non fructus sed pecuniae a locatoribus pendebantur, quae, qua dimensione saepius erant agri sacri, — quamvis vectigalia perparva essent [1]) — templorum opes valde augere potuerunt [2]).

Ita ex agris, qui sacri erant Apollini Delio per duos annos conductis, duo talenta et tria milia septingenta quattuor dr. percipiebantur, vel ex agris in insula Rhenea sitis II T. MCCXX dr. et ex agris in ipsa insula Delo sitis MMCCCC XXCIV dr.

In titulo illo jam supra memorato [3]), in quo etiam horti sacri nominantur [4]) duarum locationum per decem annos factarum', fit mentio, quae ad idem illud templum [5]) Deliacum spectant, unde (si Boeckhii conjecturas sequimur) primo anno ex insula Delo *ΓᴴΗΗΔΓΙ* (DCCXVI dr.) et ex insula Rhenea I Tal. MCX dr. in aerarium sacrum rediisse constat [6]).

Moris autem fuit, ut nomen ejus, qui vectigal non solverat, in columna incideretur utpote debitoris dei. — Cujus generis inscriptio quaedam Delphica optimae aetatis invenitur in C. J. 1690 [7]), ubi summae quaedam pro fundis et domibus pendendae memorantur, quae ita sunt exiguae, ut nihil nisi mer-

---

1) cf. Isaeos de Hagniae hered. 42. — Büchsenschütz Erwerb und Besitz. 95.

2) Marm. Sdvc. *Μισθώσεις τεμενῶν ἐξ Ῥηνείας ἐπὶ ἀρχόντων Ἀθήνησι Χαρισάνδρου Ἱπποδάμαντος ἐν Δήλῳ δὲ Παλαίου Ἱππίου ΤΤΧΘΘΔΔ μισθώσεις τεμενῶν ἐγ Δήλου ἐπὶ τῶν αὐτῶν ἀρχόντων ΧΧΗΗΗΓΔΔΔ⊢⊢⊢⊢*

3) Abhandlungen der Berl. Acad. 4834.

4) *τὴν γῆν τὴν ἐν Δήλῳ τὴν ἱερὰν ἐμίσθωσαν καὶ τοὺς κήπους καὶ τάς οἰκίας καὶ — δέκα ἔτη ὥστε ἀποδέδονται τὴμ μίσθωσιν ἁπάντων τούτων τοὺς μεμισθωμένους.*

5) l. 20.

6) In inscr. quadam valde mutilata Rhgb. A. H. 957 fortasse reditus agrorum Apollini sacrorum recensentur.

cf. Ross insscc. ined. no. 94, est inscriptio Ii insulae, in qua de locatione sacrorum pascuorum agi videtur. — *κατθεν ...... νέμοντας ...... νέμειν ἕκαστο ... δὲ τοὺς ἱεροποιούς ἀπογράφειν τοὺς νέμοντας ἱερὰ.* —

7) *Ξενοφάνης στατῆρας ὀκτὼ .... ὀδέλους ... Ἐπικρατίδας .... στατῆρας δέκα ... Ἔνδιος Διου ... στατῆρας ... δραχμὰν, ὀδέλους δύο, ἡμιόδελον Δ ... ων. Ἐχάλκου τᾶς Ἀ ..... οἰκίας στατῆρας δέκα.* —

cedes fundorum domuumque conductornm esse possint. — Nam aedificia quoque, quae templorum erant, elocata fuisse ex marmore illo jam saepius nominato intelligitur *Οἰκιῶν μισθώσεις ἐπὶ Ἱπποδάμαντος ἄρχοντος Ἀθήνῃσι ἐν Δήλῳ δὲ Ἱππίου* **ΗΗΓΔΔΔΓ⊦⊦**. —

Nec mirari debemus de parva mercede considerantes dua aedificia, quorum alterum situm erat in tribu Attica Melite nominata, alterum in urbe Eleusi tribus minis esse locata, quum tamen triginta minis aestimata essent, ita ut undecima vel duodecima pars tantum totius pretii in singulos annos penderetur[1]).

Huc quoque fortasse pertinet titulus, quem tractavit Wescherus in Annalibus Instit. 1866 [2]), ubi a XV viris homines quidam indicantur, qui Apollini quinque decem minas et sex drachmas debent, quamquam de hac re dubitari potest, quum, hanc pecuniam illis a templo mutuam datam fuisse facile quis sibi persuadere possit [3]). Nec omnes sacri agri ita conducebantur, sed alios a servis (*ἱερόδουλοι*) de quibus postea nonnulla afferre liceat, colendos curaverunt sacerdotes, aliis utebantur quibus greges saepissime permagnos pascerent. — Inter omnia vero templa graeca Delphicum abundavit servis, qui undique variis e causis Apollini dedicati erant. —

Qui eodem fere modo ac Helotae Lacedaemoniis vel potius Spartiatis certa terrae portione accepta, vel fructuum vel pecuniae ex eis perceptae partem Apollini ejusque ministris summis offerre debebant.

Recte igitur Boeckhius judicare mihi videtur, verbum *φέρος* [4]), quod inest in Delphico titulo, in quo maxime de

---

1) Isaeos de Hagniae her. 42. *κατέλιπε . . . οἰκίαν Μελίτῃ τρισχιλίων ἐωνημένην ἄλλην δὲ Ἐλευσῖνι πεντακοσίων — ἐδάφη μὲν ταῦτα ἀφ' ὧν ἡ μίσθωσις . . . . οἰκιῶν τρεῖς μναῖ γίγνονται.*

2) *Οἱ πεντεκαίδεκα τὸν Λακυάδαν τὸν Θρασυμ . . . καὶ ταμ . . . . ἐπὶ Τριχᾶ ἄρχοντος ἀπέδειξαν μνᾶς δεκατέτορες καὶ ἡμιμναῖον καὶ δραχμὰς πεντήκοντα καὶ ἕξ.* —

3) Agros locatos invenies praeterea apud Lebas Voygs. V, 331, ubi a conductoribus singulis praeter 100 dr. certam fructuum partem deis oblatam esse traditur l. 10 *δραχμῶν ἑκατὸν καὶ λιβανωτοῦ;* deinde no. 324 et 326—28: — ad quas postea redire liceat. —

4) C. J. 1688. l. 14. *τὸν φόρον καὶ τὰ ἱερήια ἀθρόα συναγόντων κ. τ. λ.*

rerum sacrarum administratione agitur esse intelligendum de vectigali servorum imprimis eorum, qui agrum colebant, quem quidem coli fas fuisset [1]).

Jam si Rossii sententiam [2]), e qua Crissa et Cirrha una eademque urbs sit, quae ab Amphictyonibus bello sacro exorto eversa divisque inferis devota fuerit, probaverimus facile quis, quaenam potissimum terra a servis culta sit, quaerat, quum campus circa Crissam situs, qui propter fertilitatem felix [3]) nominatur a Strabone, quique a Callimacho in hymn. in Del. v. 177 sq. verbis splendidis laudatur, vastus et incultus per omne tempus esse debuerit.

Quae quum ita sint equidem Ulrichsum sequar [4]), qui Crissam et Cyrrham urbes inter se longe diversas esse dicit, et agros circa alteram jacentes admodum infertiles et ne bonos quidem pecori alendo esse, quum regio Crissaea omnis generis fructus procreaverit.

Sin vero constat, Delphis a servis, qui ab Euripide *λάος οἰκήτορ θεοῦ* nominantur, vectigal esse solutum, non a recta via aberrare mihi videor, si hac re nisus similem rationem interfuisse inter sacerdotes templi Stratonicensis vel Laginensis, Triviae, et inter eos, qui dicuntur *οἱ ἐκ τοῦ περιπολίου* conjecerim. —

Περιπόλιον enim vox, quam vulgo at non recte interpretantur per quae circa urbem jacent, proprie nihil significat nisi id, quod alicui rei, alicui loco circumjacet, ut scholiasta ad Aristophanis avium versum 179:

οὐχ' οὗτος οὖν δήπου'στιν ὀρνίθων πόλος
πόλος, τινα τρόπον;

indicatur:

ὀρνίθων πόλος· τὸ μέν τι παραφράζει τὸ προειρημένον

---

1) Fines agri sacri Delphici Wescherus nuper ex inscriptione quadam restituere conatus est in libro: „Delphi: étude sur le monument bilingue de Delphes suivie etc.“ Paris 1868.

2) Ross. Inscriptiones ined. I. p. 27.

3) Strabo IX, 2, p. 276. *πρόσκειται δὲ τῇ Κίρρᾳ τό Κρισσαῖον πεδίον εὔδαιμον.*

4) Ulrichs Reisen und Forschungen in Griechenland. I. p. 17.

5) Eur. Andr. 1058 (ed. Herm.). —

τῶν ὀρνίθων, ὅτι ἐστι τόπος τις αὐτῶν ἐν ᾧ διατρίβουσι τὸ δὲ καὶ πρὸς τὸν σχηματισμὸν τοῦ ὀνόματος παίζει· τόπος καὶ πόλος· ἐξῆς δὲ ἐτυμολογεῖ αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πολεῖσθαι· πόλον γὰρ οἱ παλαιοὶ οὐκ ὡς οἱ νεώτεροι σημεῖον τι καὶ πέρας ἄξονος ἄλλα τὸ περιέχον ἁπᾶν. —

πόλος enim ab eodem vocabulo *πέλεσθαι* est derivandum ac *περιπόλιον*, cui explicationi nullo modo obstant alii loci in quibus idem illud verbum *περιπόλιον* invenitur [1]).

Quae quum ita sint *περιπόλιον* esse territorium, arbitror cujus incolae ad templum vel potius ad sacerdotem templi certas quasdam mercedes pendere debebant. Itaque in inscriptione quadam ad *περιπόλιον* additum est *τῆς θεοῖ* [2]).

Nec dubitaverim, quin aliis in titulis, qui sunt editi a Newton, ubi commemorantur: *οἱ ἐκ τῆς πόλεως παραγενόμενοι* et *οἱ ἐν τῷ περιπολίῳ κατοικοῦντες* vel *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ οἱ κατοικοῦντες τὸ περιπ.*, per voces *οἱ κατοικοῦντες τὸ περιπόλιον* incolae sacri territorii significentur, quamquam ex his enuntiatis certum judicium facere non possumus. —

Quae modo dixi de verbo *περιπόλιον* ejusque interpretatione confirmari videntur aliis lapidibus posterioris aetatis, quos analogiae causa non omittam [4]). Lite enim exorta de agro Jovi Aezanensi dicato, ab imperatore decretum est: „si in quantas particulas, quos cleros appellant, ager Aezanensi Jovi dicatus a regibus divisus sit, non apparet, optimum est, eum, qui in civitatibus clerorum nec maximus nec minimus est, observari, et si, cum Mettius Modestus constitueret, ut vectigal pro is penderetur, constitit qui essent cleri Aezanitici agri, aequum est ex eo tempore vectigal pendi.

Huc quoque alius, quem supra attuli titulus [5]) referri potest in quo possessionem terrae sacrae templo reddi jubetur.

---

[1]) Strabo VII, p. 328; XIV, 658; XVII, 825.

[2]) C. J. 2715. *ἔτι δὲ καὶ τὸν καθ' ἐνιαυτὸν γεινόμενον ἱερέα τῆς Ἑκάτης καταλέγειν ἐκ τῶν ἐν περιπολίῳ τῆς θεοῦ.*

[3]) Newton Discoveries in Halic. and Cnides p. 789 et 797.

[4]) C. J. 3835.

[5]) C. J. 4474.

Dixi antea talis territorii incolas conferri aliquo modo posse cum servis illis Delphicis, qui proprie *ἱερόδουλοι* appellantur, neque me errasse puto. *ἱερόδουλοι* [1]) enim illi, qui deo donati vel consecrati erant, nomine quidem servi ejus erant, re autem homines liberi qui ut ne interficerentur aut venirent lege erat sancitum; sub potestate sacerdotum erant, quibus vectigalia solvere debebant. —

Antiquis temporibus tale ut ita dicam sacerdotale imperium multis locis exstitisse, vix est, quod negemus; sic Pausanias, verbi causa, omnes qui coluissent Pergamenos agros Cabiris antiquitus consecratos fuisse tradit [2]), idemque scriptor certam quandam Messeniae partem Asclepiadarum fuisse narrat [3]). Addas quae Strabo (X, 438) commemorat, loca circa Oechaliam urbem sita sub ditione Asclepiadarum fuisse. Sed non meum est, quanta sacerdotum potestas fuerit inquirere. —

Jam vidimus tales agros sacros deis una cum aede, aut bello feliciter confecto aut ex bonis damnatorum esse dedicatos; restat igitur paulis tantum admonere ab hominibus quibusdam piis et religiosis territoria interdum dono deis oblata esse quorum e reditibus sacra immortalibus (vel alia officia) fierent.

Sic Nicias, quem divitiis praestantem [4]) omnes munificentia superasse constat, postquam multa eademque splendida facinora in honorem Apollinis fecit [5]), quum choragus Delum missus esset, agrum centum minis emptum hujus insulae deo sacrum esse voluit, unde certis diebus festis epulae pararentur Deliis. —

Nec quisquam est, quin sciat, simili modo a Xenophonte [6]) e decimis praedarum, quas in Asia fecerat, Scillunti aede ae-

---

[1]) Hirt. „Hierodulen“ cf. Boeckh's Anhang.

[2]) Paus. I, IV, 6. —

[3]) Paus. IV, 3, 2. *πλὴν ὅσοι τοῖς Ἀσκληπιοῦ παισὶν αὐτῶν ὑπήκουον.*

[4]) Thuc. VII, 86. Xen. Mem. II, 5, 2. Xen. de vect. IV, 14.

[5]) Plutarch. Nic. 3, 5. *Μετὰ δὲ τὴν θυσίαν καὶ τὸν ἀγῶνα καὶ τὰς ἑστιάσεις τόντε φοίνικα τὸν χαλκοῦν ἔστησεν ἀνάθημα τῷ θεῷ καὶ χωρίων μυρίων δραχμῶν καθιέρωσεν, οὗ τὰς προσόδους ἔδει Δηλίους καταθύοντας ἑστιᾶσθαι πολλὰ καὶ ἀγαθὰ Νικίᾳ παρὰ τῶν θεῶν αἰτούμενος.*

[6]) Xen. Anab. V, 3, 7 sqq.

dificata fundum Dianae ita dedicatum fuisse, ut decima pars omnium rerum, quascunque terra illa protulisset, qua sacrificia agerentur deae offeretur. — Qui ager erat aut terra culta et aratro subjecta aut non culta atque haec quidem partim arboribus et fruticetis conspersa erat partim saltus (i. e. silvas, pastiones [1]) continebat. —

Columella vero collocata erat ad fines sacri territorii cui inscripta erant haec verba [2]):

ἱερὸς ὁ χῶρος τῆς Ἀρτέμιδος· τὸν ἔχοντα καὶ καρπούμενον τὴν μὲν δεκάτην καταθύειν ἑκάστου ἔτους ἐκ δὲ τοῦ περιττοῦ τὸν ναὸν ἐπισκευάζειν. Ἂν δέ τις μὴ ποιῇ ταῦτα τῷ θεῷ μελήσει.

ὁ ἔχων καὶ καρπούμενος possessor agri, Xenophon igitur est intelligendus, qui sibi ipsi et succedenti cuivis hoc imponit officium ut oblata decima, templum deae servandum curet, ac si quis aliter fecerit, deae poenam sibi consciscat-

Cui deae etiam in insula Ithaca tale territorium consecratum fuisse titulus 1926 C. J. nos docet, quo eadem Xenophontis verba continentur ita ut Boeckhii sententia aliquem Xenophontis cultorem ibi tale Artemisium condidisse satis verisimilis videatur. —

Tum hoc loco non omiserim aliam inscriptionum [3]), quae insculpta lapidi termini (si ita dicere licet) in insula Thera est reperta, ubi Archinus quidam deorum matri agrum consecrasse traditur, et sacra ex ejus reditibus solvenda accuratissime indicantur. Primo enim anno bovem offerre jubetur praeterea unum medimnum tritici, duos hordei medimnos, vini unum *μετρήτην* (= 1,5 amphoras) denique primitias omnium fructuum, quos mensis Aprilis protulerit. —

---

1) cf. Mazochius Comment. in rcgii Herculanensis musei aeneas tabulas Heraclenses. P. I. ad l. 18 et 19.

2) Xen. Anab. V, 3, 13.

3) cf. Rhg. A. H. II. p· 873. *οὗροι γᾶς Θεῶν ματρί. Θεός· Ἀγαθᾷ τύχᾳ. — Ἀγαθοῦ δαίμονος θυσίαι Ἀρχίνου. τῷ ἔτει τῷ πρατίστῳ θύσοντι βοῦν καί πυρῶν ἐγ μεδίμνου καὶ κριθᾶν ἐγ δύο μεδίμνων ..... καὶ ἄλλα ἐπάργματα ὧν αἱ ὧραι φέρουσιν.*

Similis tabula ad Arcesinen urbem in Amorgo insula sitam [1]), inventa est, ex qua Nicesarete Naucratis uxor Veneri Uraniae ex dote sua domus aliquot et fortasse alias quasdam res dedicasse intelligitur.

Pariter a duobus hominibus Sosicrate, Neomenis, et Damatrio, Theophanis filio Apollini aedificium consecratum est [2]); *οἶκος* enim vocem vix unquam eandem vim ac *ναός* habere, ita ut non tam aedes privatas quam aedem significet, Rossius nobis persuadet, qui nullum exstare locum bonorum quidem graecitatis auctorum ubi *οἶκος* verbum pro sacra aede sit usurpatum dicat. —

Omittere liceat locos permultos ubi ab hominibus templa condita traduntur [3]), quippe quum satis dubitari possit, num sacerdotum opes per illa sint auctae, quum tamen pro certo habere possimus alias domus illas consecratas eodem modo atque agros, elocatas vel a sacerdotibus in aedis usum versas esse. —

Jam si Apolline auctore Demonem [4]) quendam Atheniensem postquam sacerdos Aesculapii factus est, hortos domumque deo dedicasse legimus, fructus illum etiam in posterum tempus percepisse verisimile mihi videtur. —

Sed, quum jam viderimus, variis modis templorum possessionem esse auctam, restat paucis indicare, saepissime sacerdotes praedia emisse eaque postea conduxisse. —

Cujus rei non pauca exstant testimonia. — Sic decreta quaedam Olymi in urbe Cariae sunt reperta, quibus homines quidem a populo creati, jubentur, quater mille drachmis e templi aerario desumptis, fundum emere, qui Apollini et Dia-

---

1) cf. Ross inscr. ined. no. 126.
ὅρος ταῖς οἰκίαις τῶν ἀποτετιμημένων Νικησαρέτῃ εἰς τὴν προῖκα καθιερωμένων καὶ ἀνακειμένων τῇ Οὐρανίᾳ Ἀφροδίτῃ τῇ ἐν . . . κ. τ. λ.

2) *Σωσικράτης Νεομήνιος, Δαμάτριος Θεοφάνεος ἀνεθηκαν τῷ Ἀπόλλωνι τὸν οἶκον κατάσκευον*: Ross inscr. ined. no. 154.

3) C. J. 2117. Exempli gratia Dianae templum dedicatur a Xenocleide quodam, Aliis in tabulis invenies additum (*ἀνέθηκεν*) *ἐκ τῶν ἰδίων* vel simile quid.

4) C. J. 459.

nae Cibymensi esset sacer [1]), emptum elocare ita, ut a conductoribus et cujusmodi fructus templo quotannis reddantur et pecuniae solvantur [2]). —

Ac nemo certe negabit, hoc templum Cybimense divitiis opibusque floruisse, quippe quum aliis in titulis, qui ei, quem modo attuli, simillimi sunt, territoria permagna commemorentur, quorum reditus Apollini sacri esse dicuntur [3]).

Tabulae condiciones continentes quibus illi agri conducti fuerint admodum multae exstant [4]), quas quum nihil novi afferant, praetierim, nisi moris cujusdam paullo usitatioris, qui in his inscriptionibus denotatur, mentionem me facere velitis.

Vendit enim aliquis omnes agros suos Apollini vel alio deo. — Facta vero in nomen dei venditione pecuniaque accepta, homo ille, qui antea fuerat possessor agrorum, eos redimit, eo quidem pacto, ut haud aliter eos possideat ac rem paternam, et ipse et ejus heredes annuumque pendat vectigal. — Sic urbis Olymi incola quidem ducentis drachmis quotannis solvendis omnia terram incultam et cultam, et silvas et saltus et vineas, quae modo vendiderat [5]) Apollini Cybimensi, conducit.

Quae mercedes quam exiguae fuerint ex Halicarnassensibus apparet tabulis [6]). Thraseas enim Jovi (maximo omnia bona vendit septem millibus drachmarum eaque deinde redimit trecentis drachmis, ita ut vix vigesima totius pretii pars solvatur [7]). —

Jam si quaerimus quaenam hujus venditionis imaginariae [8]) (verbo barbaro sit venia) fuerit causa eam et templis et privatis commodam fuisse arbitror. Privati enim primum pecunias

---

1) Cf. Lebas Voyag. arch. Part. V. no. 331. l. 3. *σύμφερον δέ ἐστιν κτηματωνηθῆναι ὑπὸ τοῦ ἀργυρίου τοῦ ὄντος ἱεροῦ τῶν κ. τ. λ.*

2) l. 8. *τ᾽ οὐθένα τρόπον διαιρῶν οὔτε τὰ σιταῖα οὔτε τὸν φόρον.*

3) Lebas Voy. arch. 332. 338.

4) Lebas Voy. A. V, 327. 328.

5) Lebas l. all. 328.

6) Cf. C. J. 2693. *Θρασέας ἀπέδοτο Διὶ ὑψίστῳ τὰ ἐκχώρια ἃ τε ἔλαχεν διειλόμενος.*

7) cf. C. J. 2694 a et 2694 b, et 2694 f, ubi pretium fundi venditi est decem millia drachmarum.

8) cf. Ulpian. Dig. 18 . 1, 55.

levissimis usuris mutuati sunt (saepissime enim usura permagna erat, etiam sexta pars pecuniae acceptae volvebatur) deinde, quin praedia, quippe quae ita deis esssent propria, ab hominibus violarentur ita est prohibitum. — Violatio terrae sacrae sacrilegio, ut vidimus par est habita. —

Sacerdotes vero pecunias in solo collocare malebant, quam cum periculo damni grandi fenore occupare. —

Plerumque tituli in agrorum sacrorum limitibus constituti, terminos notabant. — Horum titulorum, qui permulti inventi sunt, formula est *ὅρος τεμένους θεοῦ* vel *ὅρος τοῦ θεοῦ* vel *ἱερὸν θεῶν* [1]); sic Athenis ad collem Nympharum duae sunt inventae tabulae, quarum alteri inscripta sunt verba *ἱερὸν νυμφῶν* alteri *ὅρος Διός* [2]). —

Similes inscriptiones ubique invenies [3]). — Interdum non verba sed signum columellae vel lapidi insculptum est, quo aptissime fines terrae deo cuidam sacrae denotantur. Sic Delphis in saxum tripus erat incisus, quo territoria Apollini consecrata significarentur [4]). —

Similem lapidem Ulrichsius [5]) invenit ad urbem Larymnam, quo fortasse agri sancti Dionysii significabantur, quem hac in urbo summis honoribus cultum esse Pausanias tradit [6]).

Interdum tales termini in agris non collocati erant, quantum quidem ex Thucydidis verbis [7]): *οἱ δ᾽ Ἀθηνοῖοι οὔτε τἆλλα ὑπήκουον οὔτε τὸ ψήφισμα καθῄρουν ἐπικαλοῦντες ἐπεργασίαν Μεγαρεῦσι τῆς γῆς τῆς ἱερᾶς καὶ τῆς ἀορίστου καὶ ἀνδραπόδων* conjicere licet; qua re populi et homines privati abusi partem aliquam terrae sacrae interceperunt. Ita, quam rem jam supra commemoravi, quum Locri Amphissenses agros Apollini Delphico consecratos coluissent, portuque usi

---

1) C. J. no. 1468.

2) Rhgb. II, n. 359. 360.

3) C. J. 526 *ὅρος τεμένους Ἀθηναίης*; 527 *ὅρος τεμένους Ἀπόλλωνος καὶ Ποσειδῶνος Ἱππίου* 528 *ὅρος Ἀρτέμιδος τεμένους*; 529 *ὅρος Ἡλίκης*; cf. Rhg. 383—895. —

4) cf. Wescher. Delphi; Etude; Paris 1868 = C. J. 1711.

5) Ulrichs l. l. I, 228,

6) Paus. IX. 23, 3.

7) Thuc. I, 139.

essent, Aeschine ut videtur auctore, decretum est, ut fines terrae consecratae constituerentur, aut, ut ait Demosthenes *ἐψηφίσαντο οἱ ἱερομνήμονες περιελθεῖν τὴν χώραν* [1]. —

Heracleae deinde quinque finitores creati sunt, qui fundum Baccho dedicatum delimitarent terrasque a privatis interceptas deis restituerent, restitutasque eis, a quibus recuperassent, terminis positis [2]) trecentis quotannis medimnis locarent.

Ob eandem causam posteriore aetate Delphis iterum fines territorii sacri sunt terminati quum et iniquitate temporum et bellis perpetuis permoti satis magnas partes homines quidam suas fecissent. —

Ut tuti a furibus essent agrorum sacrorum fructus, *τεμένη* minoris sane ambitus septo cingebantur; nam in titulo quodam latine scripto [3]), quo de finibus Lamiensium et Hypataeorum terminandis agitur conseptum consecratum Neptuno indicatur. — Sed haec hactenus. —

Athenis igitur lapides quosdam quibus termini terrae sacrae inscripti erant, inventos esse antea dixi — sed considerantibus loca aedificiis frequentia, magnum deinde incolarum numerum, qui omnibus ad ūrbem agris sitis pro areis utebantur, ubi aedificia exstruerent, denique haud ampla neque fertilia fuisse illa territoria (ut ex Rhgb. 360 et 361 patet), reditus qui inde in templa confluxerint non ita magnos fuisse verisimile est.

Jam aliqua ex parte huc pertinent oleae sacrae, quas laedere nefas erat; quum, qui eas effodisset supplicio puniretur. Exstabant tales arbores in omni campo, quod *Πεδίον* nominabatur, et in agris privatis, nec tamen fructus eorum ad praedii possessorem redibant [4]), sed rei publicae nomine locabantur ea quidem lege, ut, qui conduxerant, quotannis certum modum olei praeberent, quod eis qui in Panathenaeis vicerant [5]) datum esse constat.

---

1) Dem. de corona 277 (149) cf. J, 1688, l. 14 *πέροδος τᾶς ἱερᾶς γᾶς*. —

2) cf. Wescher. l. l.

3) cf. Philologus X, p. 351 et 352.

4) Lysias *περὶ σηκοῦ* p. 260.

5) cf. H. Sauppii commentatio de inscriptione Panathenaica. Ind. Schol. Gott. 1854. p. 4. — Rhg. A. H. II, 960.

Quanta vis olei victoribus praemia concessa fuerit ex inscriptione Atheniensi haud multo post Euclidis annum scripta [1]) apparet, ubi summa amphorarum omnium distributarum mille ducentis non minor esse potest.

Quod oleum aliquo modo inter reditus templi Minervae referendum esse putavi [2]).

Praeter hos agros, qui aratro subjiciebantur, aut quibus boves pascebantur [3]) silvae amplae saepissime singulis templis consecratae eorum opes augebant.

Persuadere enim mihi non possum nulla emolumenta ex eis percepisse sacerdotes, siquidem vera sunt (qua de re non dubitandum est) quae a Weschero referuntur, ex olearum silva, quae circa Delphos sita est etiam nostra aetate quotannis plus septuaginta millia drachmarum a Turcograecis capi. — Nonne putas alibi has silvas etiam materiam aedificiis aedificandis aliisve rebus praebuisse.

Quae sententia firmari videtur quod scriptores veteres silvas quasdam nullo omnino usu tangi licuisse tradunt, quum ne intrare quidem eas fas fuerit [4]).

Quod, si omnino hoc e Graecorum more fuisset, cur quaeso, hoc aliove loco additum est?

Piscinas deinde templa nonnulla possidebant, quibus sacerdotibus tantum uti licuit, qua de re certiores nos facit Pausanias [5]), qui pisces in fluctibus Cereri sacris ad Eleusin (*ἐν Ῥειτοῖς*) a sacerdotibus captos esse tradit.

---

1) cf. Sauppe l. l. p. 4.

2) Schoemanns Ant. gr. II, 188, ficetum quod Cereri sacrum in pago Laciadis erat situm simili usui inservisse putat; cf. Athen. II, 6, p. 77, qui locum illum „sacram ficum appellatum esse ait, quod ibi primum illa arbor reperta esset“, cf. Hesych. s. *ἱερὰ. θυσία, κειμήλια, ἡ συκῆ ἐν τῇ εἰς Ἐλευσῖνα ἀγούσῃ ὁδῷ.* Meursius lect. Att. V, 16.

3) Tales pastiones in tabulis Heracl. commemorantur, deinde ap. Rhgb. A. H. 957, *στερεσθω τοῦ βοσκήματος.* Etiam Delphis saltus ubi pecus pasci potuit, exstitisse, verisimile fit, ex eo, quod Ulrichsius de illis regionibus narrat. nostra aetate ibi equos aliasve pecudes ali.

4) cf. quae a Pausania de sacro loco Hyrnethus Eleusi traduntur, II. 28, 7.

5) I, 38, 1. *λόγονται δὲ οἱ Ῥειτοὶ Κορῆς ἱεροὶ καὶ Δήμητρος εἶναι, καὶ τοὺς ἰχθῦς ἐξ αὐτῶν τοῖς ἱερεῦσιν ἔστιν αἱρεῖν μόνοις.*

Interdum in his aquis piscari nemini ne sacerdotibus quidem concessum erat [1]).

Delubra, quae ad mare vel in insulis sita erant, simili modo atque agros piscinas, quas possidebant hominibus quibusdam locaverunt, qui certa mercede soluta e piscatorio artificio quaestum facerent. Cujus rei unum tantum exemplum praesto mihi est ex inscriptione quadam Deliaca [2]) satis mutila desumptum, ubi praeter alia multa quae ad opes templi spectant haec leguntur: *τὴν θάλατταν τὴν Ἀθηναίων οὖσαν καὶ τὴν ἐν Ῥηνείᾳ ἐμίσθωσαν δέκα ἔτη·*

Jam si putas de piscinis hoc loco cogitari non posse, quid verba *ἐμίσθωσαν τὴν θάλασσαν* significent non intelligo.

Denique metalla deis interdum sacra fuerunt, reditusque inde habuerunt templorum aeraria [4]); ita enim titulus C. J. 162 in quo de metallis agitur optime explicatur. — Sed nihil certi ex hac tabula invenire possumus.

Hoc tamen constat, a certis quibusdam gentibus deis imprimis Apollini Pythio ex metallis solutas esse pecunias.

Ita Siphnii ex decima parte redituum, quos e fodinis aurariis et argentariis insulae suae satis magnis fecerant, Apollinis sane jussu, multas pecunias deo obtulerunt. Sic factum est, ut ipsorum thesaurus brevi locupletissimo cuique par esset [5]).

II.

Aliis in civitatibus similiter rem sese habuisse verisimile est. Hi reditus, quum non tam ex agris ipsis templo sacris percepti, quam ab hominibus vel urbibus aliqua de causa deo obstrictis oblati sint in numerum eorum sunt referendi, qui in templi aeraria rebus mobilibus confluxerunt.

---

1) cf. Paus. III, 21, 5. de aquis Poseidoni sacris (Aegiae).
2) cf. Paus. VII. 22, 4, de aquis Mercurio sacris (Pharae).
3) Jam saepius eam attuli, Abhdlg. d. Berl. Acad. 1834 B.
4) C. J. 162.
5) cf. Paus. X, 11, 1. Her. III, 57. —

A quibus igitur potissimum hominibus talia tributa templo sint soluta, quaerimus. Ac primum quidem antiquis temporibus gentes victae consecratae sunt. Cujus rei exemplum antiquissimum exstat [1]) apud Pausaniam, qui Dryopes victos Apollini ab Heracle consecratos esse, ab eodemque postea in Peloponnesum deductos esse narrat. —

Quamvis fabulae a scriptoribus posterioris aetatis veris admixtae sint, hoc tamen constat, Dryopes per longum tempus utpote dei servos agros sacros coluisse, quippe quum ea aetate, qua Crissa urbs ab Amphictyonibus expugnata et solo aequata est, Craugalidae sive Cragalidae commemorantur, quo nomine Dryopes nuncupatos esse docet C. O. Müllerus [2]).

Mycenaeos ab Argivis victos, et, decima eorum parte deo consecrata, in servitutem redactos esse Diodorus [3]) refert: *οἱ δὲ Ἀργεῖοι τοὺς Μυκηναίους ἀνδραποδισάμενοι καὶ δεκάτην ἐξ αὐτῶν τῷ θεῷ καθιερώσαντες τὰς Μυκήνας κατέσκαψεν*; — unde apparet non decimas terrae expugnatae sed hominum victorum dedicatas esse.

Itaque equidem Schoemanni sententiam adoptare non possum, qui Boeckhium secutus [4]) posteriore aetate nunquam deo homines esse consecratos dicit, ubicunque enim scriptores a victoribus esse consecratam decimam partem gentium tradidissent, eos nihil voluisse, nisi ut omnium facultatum certa portio sacra esset; decreto igitur illo, quod Graeci bello Persico altero ineunte fecerunt [5]), qui sponte Persarum amplexi fuissent societatem, eos bello feliciter confecto deis vel Apollini decimandos esse, nihil significari, nisi omnes illos jussos esse certa vectigalia templis pensitare.

Sed vide modo, quam levis sit ista poena. — Num verisimile est, quum hostes victi, saepius non modo bonis fortunisque sed libertate quoque privarentur, patriae proditores tam levi poena mulctatos fuisse [6]).

---

1) Paus. IV, 34, 9.
2) cf. Müller Dorier I, 42 (ed. I.)
3) cf. Diodos XI, 65.
4) Boekh Oecon. Athen. I, 444.
5) cf. Herod. VII. 132.; Diod. XI. 3.
6) cf. C. J. 1203, ubi *δεκάταν* idem atque *ἀπαρχή* vel *ἀνάθημα* significat.

Equidem verbum *δεκατεύειν* hoc loco non proprio sensu de decima parte usurpatum esse, sed eam habere vim puto quam Harpocration ei addit: *δεκατεῦσαι μέντοι ἐλέγετο κυρίως τὸ καθιεροῦν ἐπειδήπερ ἔθος ἦν Ἑλληνικὸν τὰς δεκάτας τῶν περιγινομένων τοῖς θεοῖς καθιεροῦν*, unde notionem, quae verbo *δεκατεύειν* ipsi subest, paullatim in oblivionem venisse apparet [1]. Quod si verum est, Graeci bello feliciter finito, omnes, qui a Persis stetissent consecratum iri pronuntiabant ita ut et ipsi et omnes facultates Apollinis fierent.

Quod promissum nunquam solutum esse postea vero in proverbii speciem abiisse nemo nescit [2].

Sed aliis de causis homines deis consecrabantur. Quomodo enim Italorum mos ferebat, ut, malis instantibus, se, quaecunque proximo vere nata fuerint, animalia immolaturos esse, pueros vero ac puellas innocentes in adultam aetatem productos e finibus expulsuros esse, ut deo quodam duce novam sibi patriam quaererent [3], ita etiam a Graecis eodem fere modo Apollini imprimis homines offerebantur.

Sic a Chalcidensibus [4] inopia et fame pressis decuma pars civium Apollini consecrabatur, qui postea deo jubente Rhegium condiderunt. Eadem ratione Eusthatio [5] teste a Gephyraeis qui ab Atheniensibus Delphos missi erant Tanagra condita est. Huc pertinent et ea, quae Aristoteles narrat: Cretenses [6] ex voto primitias hominum Delphos misisse, qui quum locum coloniae non invenirent, Bottiaeam Thraciae regionem, incoluissent. Addit Aristoteles Cretensibus admixtam fuisse progeniem puerorum Atticorum, qui Minotauro tributi nomine missi essent; eos enim non esse interfectos a Minoe sed servos factos.

---

1) Harpocr. s. v.
2) Xen. Hell. VI, 3,20. *οἱ μὲν Ἀθηναῖοι οὕτως εἶχον τὴν γνώμην ὡς νῦν Θηβαίους τὸ λεγόμενον δεκατευθῆναι ἐλπίς εἴη.* —
3) cf. Mommsen R. G. I. p. 76; Schwegler R. G. I, 241 ubi satis multa exempla invenies.
4) Strabo VI; 257.
5) Eusthat. ad Iliad. III v. 222.
6) Plut. Theseus 16; Quaestiones graecae 35.

Quo loco fretus C. O. Müllerus [1], Athenienses tributum Minotauro debitum aliquamdiu Apollini Cnossum misisse ubi servi sacri (*ἱερόδουλοι*) fierent, nobis persuadere studet. Quod firmari putat quia pluribus locis urbs servorum *δούλων πόλις* commemoratur [2]. —

Quae sententia, quamvis ingeniose et acute excogitata, ut recta sit vereor. Nam perlectis eis, quae Hoeckius [3] in libro de Creta insula conscripto contra Müllerum disputavit, ritum illum (ex quo Minotauro septem juvenes et septem virgines devorandi offerebantur) potius sd victimas humanas, quibus deus placaretur, referendum esse credo. —

Sed pergamus in enumeratione exemplorum, quibus homines deo Delphico dedicatos esse liquet. Magnetes qui Maeandrum flumen adcolebant ab Aristotele [4] Delphorum coloni (*ἱεροὶ τοῦ θεοῦ Δελφῶν ἄποικοι*) nominantur, ita ut conjicere liceat pari modo atque Rheginos et Bottiaeos Magnetes Apollini consecratos fuisse.

Quocum consentiunt quae a Conone de Magnetibus refe runtur [5]. Denique [6] a Plutarcho eidem Magnetes et Eretrienses laudati sunt, qui primitiis hominum deum donassent ut frugum datorem. —

Quorum nonnulli quidem ut terram sacram agrarent [7] (de qua re antea diximus) aut muneribus sacris templorum ministri fungerentur, Delphis manserunt, plurimi vero Apolline jubente colonias deduxerunt.

Certa officia eis a deo esse imposita pro certo habere possumus, qualia vero fuerint in ambiguo relinquitur. — Magnetibus praeter alia imperatum erat, ut si qui ad ipsos pervenis-

---

1) Dorier I, 241 (ed. I.)
2) Prov. Vatic. App. III, 94. Steph. thes.: *δούλων πόλις* Hesych. *δουλωνπόλις.*
3) Hoeck Creta 2, p. 110 f. (cf. Paroemiogr. Zenobius Cent. IV; — *ἕπτα πάρθενοι καὶ ἴσοι νέοι ἀκμᾶιοι* etc.
4) cf. Athenaeus IV, 74 p. 173.
5) cf. Canon. narrat. Photius 186 no. 29. —
6) Plutarch de Pythiae orac. c. 16 — *ὡς καρπῶν δοτῆρα καὶ πατρῷον καὶ γενέσιον καὶ φιλάνθρωπον.*
7) Eur. Andr. 1058.

sent Delphii, tectum praeberent et oleum et acetum, lucernum, lectos, mensas.

Jam hoc constare videtur, omnium fructuum omniumque rerum quotannis Delphos certam partem ut tributum Apollini donatam esse; de qua re in prima dissertationis parte disseruimus. —

Fortasse etiam pecuniae ab eis solvebantur, quibus templi et sacerdotum reditus augebantur.

Ab urbibus saepius etiam singulos homines deis oblatos esse donum praeter locos alios imprimis Euripides nos docet, qui Creusam his verbis Ionem alloquentem facit:

ἀνάθημα πόλεως, ἤ τινος πραθεὶς ὕπο [1]. —

Tum a privatis quoque servi templis consecrabantur, ut ex inscriptione C. J. 539 apparet [2].

Denique paucis manumissionem sacram per simulatam venditionem factam commemorare liceat; cujus rei permulta habemus monumenta lapidibus inscripta, quae a Boeckhio in Hirtii de hierodulis libello enumerantur. Quibus postea ab E. Curtio in Anecdotis Delphicis deinde a Weschero et Foucarto „inscriptions récueillies à Delphes etc." haud pauca sunt addita [3].

In omnibus illis monumentis servi veneunt Apollini ita ut e privati manu emissi, servi tanquam dei fiant, sed suo omnino jure et libertate fruantur. — τελέως ἐλεύθεροι igitur fiebant et nulli mortalium obstricti, quum nemo nisi deus patroni vices gereret. —

Verbis ἐλεύθερος κατὰ τὰν ὠνὰν τοῦ θεοῦ vel ἔστω ἁ ὠνὰ βέβαιος τῷ θεῷ, ὥστε ἐλεύθερος εἶναι, ἐπ' ἐλευθερίᾳ in tabulis Delphicis talis manumissio vulgo indicatur [4]. Nec

1) Eur. Jon. 310.

2) Tales servi commemorantur praeterea a Paus. III, 18, unde a sacerdotibus eos saepius emptos esse, apparet; cf. Her. VI. 134. —

3) cf. de hoc manumissionis usu E. Curtius Anecdota Delphica. — Meier allgem. Litt. Ztng. 1843; E. Curtius Nachrichten der kgl. Ges. der Wiss. zu Göttingen 1864.

4) Chaeroneae multos tales servos sacros fuisse docet Boeckh in Hirtii d. Hierodulen".

desunt exempla, quibus quis testamento cavet, ut se mortuo servis libertas reddatur [1].

Sed quid plura? Diximus hac ratione homines in libertatem vindicatos esse, quod vel maxime nobis probatur verbis saepius additis: ποιῶν ὅ κὰ θέλῃ καὶ ἀποτρέχων οἷς κὰ θέλῃ, quibus plena libertas accuratissime describitur. —

Jam quum eos in dei ministeria transiisse non verisimile est, num omnino certa quaedam officia erga deum subierint, quaeritur.

Quod quum plerique negarent, quia nunquam in his titulis homines ita manumissos templo quid debuisse legeretur, E. Curtius [2] hanc sententiam vix rectam esse nobis persuadet; nam, aliis omissis, valde verisimile esse ait, grato pioque animo servos ita manumissos deo, quo auctore in libertatem vindicati essent, utpote patrono suo, dona haud parva obtulisse, quibus divitias et magnificentiam templi augerent.

Denique nonnulla addere liceat de hierodulis mulieribus Veneri sacris. Qua de re viri doctissimi [3] diversis locis accurate egerunt, neque meum est, quae illi scripserunt, repetere, neque diutius commorari in enumeratis iterum enumerandis.

Prostabant igitur ad Veneris templum mulieres, quae quem corpore quaestum fecerant, ut servae deae quasi debitum munus dominae offerebant.

Quod institutum maxime floruit in urbibus maritimis. Ita traditum est [4] Corinthii in fano Veneris plus mille famulas meretrices fuisse, a quibus satis multae pecuniae ad templum rediissent, quippe quae naucleros omni modo spoliassent, unde proverbium illud notissimum „non omnibus datum est Corinthum

1) cf. Wescher et Foucart l. l. 432, 419.

2) E. Curtius Nachr. d. kgl. Ges. d. Wiss. 1864 (Göttingen).

3) Hirt Hirodulen; Jacobs vermischte Schriften Thl. IV.; Becker Charicles II p. 51 sqq.

4) Strabo VIII, 378.

adire“ [1]) ortum videtur, ad quod Zenobius [2]) haec verba adscripsit:

Κόρινθος πολλὰς εἶχεν ἑταίρας καὶ πολυτελεῖς, αἵ τοὺς ἀφικομένους τῶν ξένων ἐδασμολόγουν τὰ ἐφόδια αὐτῶν ἀναλαμβάνουσαι. —

Quae puellae a viris mulieribusve deae dedicabantur.

Xenophon [3]) igitur Corinthius Olympiam profecturus, si victor rediisset Veneri se tales feminas (*ἱερόδουλαι*) esse consecraturum promisit. E. Curtius in libro Peloponnesus inscripto I, 438 Pausaniae [4]) locum interpretaturus, quo permultae mulieres rebus Venereis deditae Patris fuisse dicuntur, idem institutum hac in urbe fuisse ait.

Quae feminae et corpore et vestes xylinas texendo lucrum fecerunt.

Nec facile quis negabit iu Eryce monte, ubi celeberrimum illud Veneris templum fuit [5]), quod auri argentique magnam vim, et monilia et annulos pretiosissimos habuisse constat, similem cultum exstitisse, qui legerit, quae a Strabone [6]) narrantur, antiquitus Veneris fanum refertum fuisse mulieribus rei sacrae addictis, quas ex voto dedicassent Siculi, et alii multi.

Et Diodorus [7]) a Romanis quoque hoc templum summis donariis esse ornatum magnificisque muneribus donatum tradit; consules enim et praetores in insulam Siciliam missos, ubi ad

---

1) Strabo. l. l.

2) Zenob. Cent. V 37.

3) cf. Schol. Pind. Ol. XIII. 32. *καὶ οἱ ἰδιῶται δὲ κατεύχονται τῇ θεῷ τελεσθέντων περὶ ὧν ἂν ποιῶνται τὴν δέησιν ἀπάξειν αὐτῇ ταύτας ἑταίρας· ὑπάρχοντος οὖν τοιούτου νομίμου περὶ τὴν θεὸν Ξενοφῶν ὁ Κορίνθιος ἐξιὼν ἐς Ὀλυμπίαν ἐπὶ τὸν ἀγῶνα καὶ αὐτὸς ἀπάξειν ἑταίρας ηὔξατο τῇ θεῷ νικήσας.*

4) VII, 21, 14. *αἱ δὲ γυναῖκες εἰσιν ἐν ταῖς Πάτραις ἀριθμὸν μὲν καὶ ἐς δὶς τῶν ἄνδρων Ἀφροδίτης δὲ ἔιπερ ἄλλαις γυναιξί, μέτεστι καὶ ταύταις· βίος δὲ αὐτῶν ταῖς πολλαῖς ἐστὶν ἀπὸ τῆς βύσσου τῆς ἐν τῇ Ἤλιδι φυομένης. κ. τ. λ.*

5) Aelian de nat. deor. X. 50.

6) Strabo VI, 273.

7) Diodor IV, 83.

Erycem pervenissent sacra magna deae fecisse et libenter ad lusus et colloquia cum feminis se convertisse [1]).

Eundem hunc morem cum Veneris cultu conjunctum, deinde Syracusis [2]) Cypri, Cytherae, Sami exstitisse constat.

Denique Athenis Solon [3]) primus hunc Veneris vulivagae cultum instituit; mulieres enim emit, quas pudicitia prostituta, quod fecissent corpore lucrum deae consecrari jussit. Quibus ex pecuniis postea templum Veneri est conditum. Unde reditus, qui inde ceperunt templa satis magnos fuisse apparet.

Veneri quae in Samo insula colebatur meretrices Atticae, quae Periclem, quum Samum oppugnaret secutae erant, quippe quae ex prostituto corpore ingentem fecissent quaestum templum dedicarunt [4]) simili modo atque a puellis Sardibus Alyatti statua [5]) est posita.

Haec fere erant, quae dicenda videbantur de hierodulis sacris, quorum tria genera discernenda sunt, primum qui re vera servi sacri templi ministeriis fungebantur vel agros colebant, deinde qui in speciem tantum servi dei officia quaedam pietatis solvebant, denique meretrices illae modo commemoratae [6]).

Sed tantum abfuit ut ab eis modo qui deis ita consecrati erant, certa quaedam tributa donarentur. ut ab omnibus fere gentibus et ab omnibus hominibus, templis munera pecuniaeve offerrentur et ad deis grates persolvendas et ad gratiam comparandam.

Huc imprimis pertinent decimae quae omnibus e rebus offerebantur; sed ut pro decima fructuum aurea messis dedica-

---

1) De Veneris cultu quam accuratissime „Engel“ egit in libro de insula Cypro conscripto. p. 373. — p. 391 de insula Cythaera p. 484 de Corintho. — de Cypro insula cf. Justin. XVIII, 5.

2) cf. Eusthat. ad Il. XIX; 282. *Συρακουσίοις δὲ ὕστερον νόμος ἦν τὰς γυναῖκας μὴ κοσμεῖθαι χρυσῷ . . . . εἰ μή τις συγχωροίη ἑταίρα εἶναι κοινὴ καὶ οὕτως οἰκεία τῇ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ τῇ καὶ ἑταίρᾳ.*

3) cf. Becker Charicles l. l.

4) Alexis ap. Athen. XIII, 31. (Tom. V. p. 69 ed. Schwgh.)

5) Her. I, 93, cf. Engel Cypros II, 382.

6) Etiam apud Romanos moris fuisse videtur ut deo homines consecrarentur cf. Cic. pr. Cluent. C. XVI §. 34. Martiales quidem etc.

batur ita semper fere non tam res ipsae, sed donaria quaedam dedicabantur.

Quae quamquam vix inter templorum reditus numerari possunt quum magnificentiam tantum et ornatum amplificarent, tamen exempla quae memoratu digna sunt afferre mihi liceat quae a Pausania nobis traduntur. Carysti [1]) igitur et Plataeenses boves aeneos Delphos miserunt gratiam scilicet referentes, quod bello Persico feliciter gesto, agrum colendo pristinas recuperavissent fortunas et ob eandem causam Eretrienses Jovi Olympio et Athenienses Minervae simile donum consecrabant [2]).

Neque non verisimile mihi videtur capram illam ex aere fictam [3]), uberibus alentem duos catulos caprinos decimas esse, quas Elyrii, quum magnum e gregibus lucrum fecissent, Apollini consecrarunt. —

Caput deinde aeneum tauri, quod Paeonum rex Dropion Delphos misit [4]) nihil fortasse erat nisi decimae venaticiae [5]).

Sic Corcyraeos animum gratum testificaturos Apollini Delphico, qui eos, quomodo thynnos pisces capere possent, docuisset, bove aeneo eum donasse audimus. Jusserat enim Apollo taurum mactare Neptuno, quo facto res feliciter evenerat [6]).

Samii e decima lucri mercatorii quod satis magnum fuit ahenum pulcherrimum fecerunt sex talentis aestimatum, idque in Junonis templo collocarunt [7]); cujus rei simile exemplum invenies ap. Callim. epigr. 41 ubi Timodemus quidem Naucratides e decima quaestus Cereri et Proserpinae templum dedicasse dicitur. Aliis jam omissis moris fuisse videtur apud

---

1) Paus. X; 16. 6. V, 27, 9.
2) cf. Archäol. Ltng. 1860. no. 136. p. 38.
3) Paus. X, 16,5. —
4) Paus. X. 13,1.
5) Simili modo a legato quodam Romano Dianae venationis decima pars conseorata est Archlgscher Anzeiger 1864 p. 188, 189.
6) Paus. X, 9,4. —
7) Herod. IV, 152. cf. Aristoph. Plut. v. 1178 sq.
ὅτι πάντες εἰσὶ πλούσιοι· καὶ τοιτότε,
ὅτ' εἶχον οὐδὲν, ὁ μὲν ἂν ἥκων ἔμπορος
ἔθυσεν ἱερεῖον τὶ σωθεὶς, ὁ δέ τις ἂν
δίκην ἀποφυγών etc.

Graecos ut praedae hostibus ereptae pretiosissima quaeque eligerentur [1]), deisque donarium tanquam debitum offerrentur.

E verbo *ἀποθύειν* quod saepius de his oblationibus usurpatur, Graecos, ut talia munera immortalibus vel eorum templis dedicarent pro officio habuisse apparet, —

Longum est omnia enumerare exempla, quae sunt permulta, nonnulla tamen afferam.

Athenis Palladi propugnatrici statua, quae posita erat in arce urbis e spoliis Persis in pugna ad Marathonem commissa ereptis consecrata erat, eidemque Chalcidensibus victis quadrigae aeneae exstructae sunt [2]). — Deinde quum Cimon, duabus victoriis pulcherrimis, altera navali, altera pedestri de Persarum copiis reportatis, triremes trecentas et quadraginta, virorum ultra viginta milia et magnam pecuniae vim [3]) cepisset, Atheniensium populus decimam ex hac praeda elegit, eamque deo consecrari jussit.

Apollini vero Delphico 'omnes civitates Graecae, proelio feliciter comiso talia offerebant munera.

Sic post pugnam Salaminiam a Graecis Apollini statuam permagnam, manibus proram tenentem [4]) et post proelium Plataeense [5]) tripodem pulcherrimum dedicatum fuisse nemo nescit [6]).

Nec non saepius arma ipsa hostibus erepta deis consecrabantur. Hieron igitur Etruscis apud Cumas devictis galeas e preeda sumptas Jovi Olympio misit, quarum tres ad nos pervenerunt. Alteri enim haec verba sunt inscripta :

---

1) Diod. XII. 29. *οἱ δὲ Συρακόσιοι .... τῶν δὲ λαφύρων τὰ κράτιστα ἀπέστειλαν.* —
2) Herod. V, 77 *καὶ τῶν λύτρων τὴν δεκάτην ἀνέθηκαν, ποιησάμενοι τέθριππον χάλκεον.*
3) Diod. XI, 72.
4) Her. VIII, 121 et 122.
5) cf. Diod. XI, 33. Thuc. I, 132. — Alia exempla sunt Hell., III, 3, 1. Her. VIII, 28. Diod. V; 9; XII, 29.
6) Ceterum de donariis a Graecis post bellum Persicum deo oblatis cf. Archlgsche Ltng. 1862 p. 333 ff. — Schubart. — E. Curtius Die Weihgeschenke nach den Perserkriegen.

Ἰάρων ὁ Δεινομένεος καὶ τοὶ Συρακόσιοι τῷ Δὶ Τύρραν ἀπὶ Κυμᾶς [1]).

Gelo [2]) deinde Carthaginiensibus apud Himeram profligatis praeter Jovis simulacrum tres linteas thoraces dedicasse narratur. Haec donaria, qua sunt exiguitate ob nullam aliam causam deis consecrata esse, quam ut memoria facinoris cujusdam praeclari servaretur apparet. — Ceterum talia munera deis minime grata fuisse multi testantur scriptores. —

Sic Pausanias [3]) Pythiam praedam Medicam a Themistocle ipsi dedicatam, repudiasse dixisseque se, si etiam antea interrogata fuisset, numquam talia dona accepturam fuisse. —

Plato [4]) igitur omnino arma, praesertim si Graecis a Graecis erepta essent, deis sacrari noluit, quocum omni ex parte consentit Plutarchus [5]) qui dignos esse ait Gräecos, quos miseremur et contemnamus, quod templum dei donariis e praeda hostium caesorum factis compleverint eaque inscriptionibus turpissimis ornaverint, ut: *Βρασίδας καὶ Ἀκάνθιοι ἀπὸ Ἀθηναίων, καὶ Ἀθηναῖοι ἀπὸ Κορινθίων, καὶ Φωκεῖς ἀπὸ Θεσσάλων.* — „Justitiae donaria temperantiae et magnanimitatis deis dedicanda sunt, neque aurea et luxuriosa, quippe quae a turpissimis quoque hominibus interdum offerri possint. Laudandi sunt Opuntii Myrinaei et Apolloniates, qui aureas messes Delphos miserant. —

Quae quum ita sint Spartae lex valuisse videtur, qua erat sancitum, ne arma bello capta Apollini Delphico consecrarentur; idem sensisse videtur Cleomenes quum arma *ἀπὸ δειλῶν* deo offerenda esse negaret [6]).

---

1) cf. Boeckh; C. J. no. 16. Tales galeas votivas invenies praeterea C. J. 30; 31. C. J. 29.
2) Paus. VI; 19, 7.
3) Paus. X, 14, 5
μή μοι Περσῆος σκύλων περικαλλέα
κόσμον
νηῷ ἐγκαταθῇς· οἰκόνδ' ἀπόπεμπε τάχιστα.
4) Plato R. P. V.
5) Plut. de Pyth. or. 16. —
6) Plutarch. Apophtegm. Lac. Cleom. 18. —

Ita fortasse factum est ut postea non praedam ipsam sed pecuniae quam illa divendita [1]) reciperant, decimam partem offerrent.

Sic pugna ad Coroneam comissa Agesilaum plus centum talenta, decimas scilicet praedae in Asia factae Delphos misisse Xenophon est auctor [2]), *καὶ Ἀγησίλαος μὲν εἰς Δελφοὺς ἀφικόμενος δεκάτην τῶν ἐκ τῆς λείας τῷ θεῷ ἀπέθυεν οὐκ ἐλάττω ἑκατὸν ταλάντων*; et sic Polystratum [3]) Minervae, ni fallor ex praeda ad Catanam facta plus quam triginta minas decimas exemisse Lysias tradit.

Huc etiam referam, quae a Thucydide [4]) traduntur de Lepreatis, qui, quum bellum exortum esset ipsos inter et Arcadiae urbes quasdam ab Eleis auxilium petebant, et promittebant, se quotannis eis omnium quos ex agris cepissent, fructuum dimidiam partem soluturas esse.

Re feliciter gesta ab Eleis, qui de jure suo cedebant jussî sunt Lepreati Jovi Olympio quotannis talentum solvere. — Quae ratio belli Peloponnesiaci temporibus valuit.

Hoc denique addam Brasidam [5]) gavisum, quod oppidum Lecythum tandem expugnaverat, Minervae deae, a qua se adjutum putarat, triginta minas consecrasse- —

Alios ejus exemplum secutòs esse nemo negat.

Deinde haud parvas pecunias e damnatorum bonis, quorum decimam partem deis consecratam esse vidimus, aliisque ex multis in templorum aeraria rediisse consentaneum est. — Lege igitur Athenis erat sancitum, ut, si quis plures quam liceret olivas excidisset centenis drachmis mulctaretur, earumque Minervae decem sacrae essent [6]), et similiter in Corcyra insula quicunque pedamenta in agro Jovi sacro posita deputaverant singulis stateribus multabantur [7]).

---

1) Xen. Hell. IV, 6. 6. praedam post pugnam ita esse venditam tradit.
2) Xen. Hell. IV, 3, 21.
3) Lysias or. XX, 24 (p. 686.)
4) Thuc. V, 31.
5) Thuc. IV, 116.
6) Dem. in Macart. p. 1074.
7) Thuc. III, 70. —

Ceterum omnino moris fuisse videtur ut qui terram sacram violaverat pecunia multaretur; quae sententia mea duobus titulis confirmatur, quorum in priore [1]) Delphico lex Amphictyonum de Delphicarum maxime rerum administratione continetur, qua praeter alia multa ne quis nisi pecuniaria multa soluta terram sacram posset violare, decretum erat, in altero qui repertus est Tamynae, id, quod ex verbo *ἀποτινέτω* concludi potest de multa quadam Apollini solvenda agitur, quam, quum postea agri illi deo sacri commemorentur ad violationem territorii sacri referendam esse dixerim [2]).

Jam si quis contra populi vel senatus decreta egerat, certas pecunias solvere debebat, quae aut magna ex parte aut omnes in templorum aeraria referebantur. —

Sic c. Olymp. 105, 4 Atheniensium populus quicunque arma in Eretriam vel aliam urbem sociam tulisset, fisco eum pendere pecuniam, cujus decima pars Minervae esset sacra jussit [3]).

Eidem deae prytanes, si primam quam convocare fas erat [4]) concionem non habuerant, quadraginta drachmas debebant. Ceterum, quum his locis de decima tantum, quae in Minervae aerarium redibat, agatur, tamen quinquagesimam partem ceteris deis consecratam esse apparet ex Dem. in Tim. 738, unde omnium fere multarum decimas Minervae tributas esse conspicitur.

Certae vero quaedam pecuniae omnino aliis deis consecrabantur. Sic ex inscriptione in qua insunt constitutiones de

---

[1]) C. J. 1688: *αἴ τις κα τὰν γᾶν ἐπιεργάζηται ἂν Ἀμφικτίονες ἱάρωσαν ἐπεὶ κὰ ἁ πέροδος γίνηται ..... ἀποτινέτω τοῖς ἱαρομναμονέσσι τοῖς Αμφικτιόνων.*

[2]) Rhgb. A. H. 957. — Denique huc spectant, quae leguntur in inscriptione celeberrima Andaniae reperta, l. 85: *περὶ τῶν κοπτόντων ἐν τῷ ἱερῷ. μηθεὶς κοπτέτω ἐκτοῦ ἱεροῦ τόπου ἂν δέ τις ἁλῷ ὁ μὲν δοῦλος μαστιγούσθω ὑπὸ τῶν ἱερῶν, ὁ δὲ ἐλεύθερος ἀποτεισάτω ὅσον καὶ οἱ ἱεροὶ ἐπικρίνωντι.* Sauppe d. Mysterieninschrift v. Andania; Abhdlg. d. kgl. Societät 1859 p. 240. —

[3]) Rhgb. 392. — *περὶ δὲ τῆς τοῦ λοιποῦ χρόνου ἐπιστρατεύσεως ἢ ἐπὶ Ἐρέτριαν ἢ ἐπ᾽ ἄλλην τινά τῶν συμμαχίδων πόλεων τῶν Ἀθηναίων ἢ τῶν συμμάχων τῶν Αθηναίων ζημίαν αὐτῶν κατεγνῶσθαι καὶ τὰ χρήματα δημόσια εἶναι ἔτι δὲ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον.*

[4]) cf. Boekh. Oecon. Athen. I, 494. Dem. in Tim. p. 706.

mensuris [1]), quibus quisque uti debeat, quicunque eas neglexerit, Cereri eum et Proserpinae mille drachmas pependisse audimus. —

Junoni quoque satis magnas pecuniarias multas solutas esse tradit Demosthenes [2]). — Denique et heroibus ipsis eponymis damna quaedam sacra erant, quippe quibus Theocrines quum rationem pecuniarum, quas administraverat, non reddidisset septingentas drachmas deberet [3]).

Similes leges etiam apud ceteros Graecos valuisse facile tibi persuadebis inspicienti inscriptionem Eretriensem paullo recentiorem quidem [4]). Theopompus enim Archedemi filius, vir patriae amantissimus civibus 40,000 drachmas legaverat, quarum ex usuris oleum emeretur, quo juvenes in exercitationibus gymnicis uterentur. Quae res ut in omnium memoria servaretur populus Theopompum statua honoravit, in quam et alia psephismata et hoc incidendum curavit:

> ne quis pecunia a Theopompo Eretriensibus donata, vel usuris ex ea perceptis ad ullam rem abutitor, neve quis legem de ea ad populum ferto; qui secus faxit debeto Dianae deae 60,000 drachmas.

Haud aliter hieramnemones [5]) officiis suis, quae ipsis decreto Amphictyoum erant imposita, non functi stateres argenteos deo solverunt. —

Et [6]), si quis manum injecerit manumisso multam quandam subire jubetur, cujus ut vulgo dimidia pars deo, apud quem demittebatur, sive sacro fisco, dimidia libertatis assertori debeatur. —

Apollini denique Corinthi multas saepius sacras fuisse jam

---

[1]) cf. C. J. 123.

[2]) Dem. in Macart. p. 1068,

[3]) Dem. *κατὰ Θεοκρίνου* 1326, 14. Boeckh l. l. p. 495. —

[4]) cf. Rhgb. A. H. 689.

[5]) C. J. 1688.

[6]) E. Curtius Anecd. Delph. p. 44: *εἰ δέ τις καταδουλίζοιτο ἀποτεισάτω ἀργυρίου τάλαντον ποθιερὸν τοῦ Σαράπιος ἐξέστω δὲ καὶ προς τάμεν τῷ θέλοντι Φωκέων καὶ τὸ μὲν ἥμισον ἔστω τοῦ προστάντος, τὸ δὲ ἥμισον τοῦ θεοῦ τοῦ Σεράπιος.*

ex eis apparet, quae a Herodoto [1]) referuntur de Periandro, qui Melissa uxore interfecta Lycophronem filium ipsi iratum e patria expulit, et, si quis illum domi reciperet, eum multam Apollini sacram pendere jussit. —

Hoc igitur liquet plurimas multas propter leges neglectas esse solutas.

Cujus rei exempla certe facile etiam plura invenies; equidem ea praetereo, et hoc tantum addam certam partem multae, quae ob indutias violatas solvenda erat deis consecrari, quod non neges, si quae Thucydides (V, 49) narrat perlegeris. Lacedaemonii enim, quum omnes Graeci bella gerere vetiti essent per Olympia agenda, tamen hac lege neglecta Leprei Eleorum in urbe praesidia collocarunt, quo factum est, ut duobus millibus minarum multarentur, quae magna ex parte Jovi erant sacrae; quod intelligitur ex verbis, quae sub finem capitis leguntur: *εἰ δὲ βούλονταί σφισι Λέπριον ἀποδοῦναι τότε αὐτῶν μέρος ἀφιέναι τοῦ ἀργυρίου καὶ ὅ θεῷ γίγνεται αὐτοὶ ὑπὲρ ἐκείνων τίσειν.* —

Quibuscum conferre liceat inscriptionem [2]), qua foedus Eleos inter et Heraeos ictum continetur; ibi enim sub finem haec leguntur verba: *αἰ δὲ μὰ συνέαν τάλαντον κ' ἀργύρω ἀποτίνοιαν τῷ (τοι) Δι Ὀλυμπίῳ τῷ καδαλεμένοι καὶ λατρειομένο.* —

Jam non neglexerim multam quae commemoratur in inscriptione quadam Deliaca; habes ibi exemplum *δίκης ἐκκλήτου* [3]). Lite inter Parios et Naxios exorta res ad Eretrienses est delata qui de ea judicium ferrent. Parii vicerant multaeque sibi adjudicatae partem Apollini consecrarunt.

Jam restat perpaucis tantum indicare multis in urbibus imprimis Asiaticis recentiore sane, ut videtur, aetate eam legem valuisse, ut, si quis mortui corpus intulisset tumulo, quem alius quidem sibi exstruxisset, is certa summa pecuniae multa-

---

1) Herod. III, 52. cf., quae C. O. Müller de origine hujus multae Appollini sacrae attulit in „Dorier" I, p. 295 (ed. I.)

2) Boeckh C. J. no. 11 (Addenda et Corrig.) p. 876.

3) C. J. 2265. —

retur quae saepissime ad aerarium sacrum pendebantur. — Longum est permulta hujus rei exempla, quae omnia eisdem fere verbis concepta sunt enumerare. Verbi gratia unum afferam, quod legitur in inscriptione quadam Smyrnaea: *Ἀλέξανδρος Ἀνταίου τοῦ Βακχίου κατεσκεύασε τὸ μνημεῖον ἑαυτῷ καὶ Λεσβίᾳ γυναικὶ καὶ τοῖς τέκνοις ἐὰν δέ τις εἰςβιασάμενος βάλῃ ἀποδότω τοῖς ἐν Σμύρνῃ ναοῖς τῶν Σεβαστῶν ※ β͞φ καὶ οὐδὲν ἧσσον ἔσται ὑπεύθυνος τυμβωρυχίᾳ κ. τ. λ.* [1])

Jam in enumerandis pecuniis, quibus templorum divitiae auctae sint, non eae praetereundae sunt, quibus ab hominibus dei donabantur. — Consecratae igitur ab hominibus moribundis pecuniae exempla invenies et in Isaei orationibus [2]), unde partem bonorum Minervae dedicatam fuisse comperimus, et in Lysiae oratt. [3]), ubi Conon quinque millia staterum Minervae deae et Apollini Delphico obtulisse narratur. Quibuscum conferas quaeso, quae leguntur in Demosthenis oratione XLIX, p. 1204.

Huc addi possunt exempla quaedam in lapidibus nobis servata; — sic Collyra mulier sacerdotibus pecuniam, quam antea mutuata erat Melitae feminae donavit: *ἀνιαρίζει Κολλύρα τοῖς προπόλοις τᾶς θεοῦ τὼς τρὶς χρυσέως τῶς ἔλαβε Μελίτα καὶ οὐκ ἀποδίδωτι* [4]). —

Plerumque tales pecuniae sunt consecratae ut certo usui inservirent, ut aut sacra fierent, aut ludi ederentur aut populo epulae praeberentur, aut templa aedificarentur.

Sic Calauriae [5]) a Sophare quodam ejusque uxore trecen-

---

1) cf. C. J. 3265; 3289 *τῷ ναῷ τῶν Ζμυρναίων* 3289; 3260, 3286, 3401.

Deinde 4325 c. (Add. et Corrg. p. 1153.) Olympi reperta *ἐκτείσει τῷ θεῷ Ἡφαίστῳ δηνάρια γ̄;* cf. 4325 d. *τῷ θεῷ δεινάρια β̄., ὧν ὁ ἐλένξας λήψεται τὸ τρῖτον.* 4325 i. k. —

Tum ex urbe Patara

4293 *ὀφειλέτω ἱερὰς Ἀπόλλωνι δραχμὰς ε* 4292 *ἢ ὀφειλήσει τοῖς καταχθονίοις θεοῖς δίκαια;* cf. 4366 etc.

2) Isaeos. *περὶ τοῦ Νικοστράτου κλήρου* §. 9.

3) *ὑπὲρ τῶν Αριστοφ. χρημάτων* p. 639 (39.)

4) Ignarra de Phratr. 160.

5) Rhgb. A. H. 821 b.

tae druchmae dedicatae sunt ut ex ejus usuris annuum sacrum fieret, templumque Dianae quam maxime ornaretur [1]).

Et pariter titulus quidam in insula Co repertus nominandus est [2]), qui satis mutilus testamentum Diomedontis continet, quo multa donaria Herculi dedicantur et quae sacra ei facienda sint praecipitur. —

Similes inscriptiones quibus ad sacra quaedam facienda, vel omnino ad templorum magnificentiam divitiasque augendas deis certa pecuniae summa oblata est saepius invenies. — In Corcyra [3]) insula ab Aristomene et Psylla centum et viginti minae civibus donatae sunt [4]).

Aphrodisiae Marcus Ulpius Claudianus [5]) pecuniam quandam instituit ut Veneri donaria offerrentur (*εἰς αἰωνίαν ἀναθημάτων κατασκευάν*); Philadelphiae deinde praeter alia multa dedicaverat Heliodorus [6]) quinquaginta millia denariorum *εἰς τὴν κατασκευὴν τοῦ προπυλαίου τῆς βασιλικῆς ὑπὲρ ἀρχιερoσύνης δηναρίων μυριάδας*; et Ephesi similiter certa summa per testamentum legata est [7]), qua templum aedificaretur vel ornaretur (*εἰς τὴν κατασκευὴν τοῦ νεῶ*); in altera inscriptione et ipsa Ephesi reperta (C. J. 2953) pecunia Dianae sacra commemoratur, ex hereditatibus (*ἐκ τῶν Καλλιφάντου κληρονημιῶν*) magna de parte confecta. —

Denique saepius ad privata quaedam sacra instituenda epulasve celebrandas [8]) conventui alicui (*τῷ κοινῷ τῷ* Ross

---

[1]) *καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ διαφόρου καταχρήσεσθαι ...... ἀλλὰ τὰν ἱέρειαν* .... verbum, quod est *διάφορον* saepius usurpari de reditibus docet Sauppius „Mysterieninschrift v. Andania“ p. 235.

[2]) cf. Ross Isscr. ined. no. 311 (Fasc. III p. 45.)

[3]) C. J. 1845.

[4]) cf. C. J. 3069, 2742; 2741, quae aliqua ex parte huc pertinent. Pecuniae enim quaedam sunt consecratae ut ludi edantur.

[5]) C. J. 2882.

[6]) C. J. 3419.

[7]) C. J. 2987. —

[8]) C. J. 5745 (inscriptio Neapoli sane est reperta).

inscr. ined. no. 198) vel senatui [1]), vel phratriae testamento donatas esse Rossius ad inscriptionem modo allatam, quae fragmentum videtur esse testamenti ab Argia femina facti, adnotat.

Jam pecuniae sanctae ut quam maxime augerentur a sacerdotibus mutuae sunt datae, et civitatibus et hominibus privatis imprimis trapezitis, qui ipsis de pecunia mutua data cavere potuerunt. E mercedibus, quae cum usuris usitatis comparatas exiguae sunt, quotannis solvendis, fenus nauticum non esse posse Boeckhius cognovit [2]), neque omnino probabile est, sacerdotibus, vel templorum administratoribus licuisse fenus nauticum pecuniis sacris exercere, ut Athenis non licuit pupillorum pecunias nautico fenore collocare, quum periculum damni semper instaret. —

Fenus nauticum non intelligi inde liquet quod vectigalia per nonnullos annos debita recensentur in marmore Sdv., quum tamen illud, nave in locum constitutum delata cum pecunia mutua sumpta reddendum fuerit [3]).

Ut ex altera inscriptione, sane paullo recentiore, Deliaca liquet [4]), decima pars omnium pecuniarum quotannis usurae templo solvebantur. Leguntur enim ibi haec: *ἀργυρίου ἐδάνεισαν ΓᴴΤΤΤΓΔΔ ἐπιδεκάτοις τόκοις πέντε ἔτη*. —

Sed ne longus sim in repetendis eis quae accuratissime et doctissime a Boeckhio sunt exposita, exempla tantum quaedam afferre mihi liceat, quibus apparet pecunias sacras mutuas esse datas. — Qua de re nemo dubitare potest, qui negligenter modo inspexerit inscriptiones modo allatas, in quibus usurae a civitatibus solutae, et non solutae eaedemque haud parvae nominantur [5]).

---

[1]) C. J. 3717 (*Διογένης ἀνέθηκε τῇ ἱερωτάτῃ βουλῇ δηνάρια βφ̄*).

[2]) cf. Oecon Ath. II p. 183 sq.; de fenore nautico; (*τόκοι ναυτικοὶ*) I p. 189 sq.

[3]) Boeckh. l. l.; et ad C. J. 158.

[4]) Abhandlungen der Berl. Acad. 1834.

[5]) Marmor Sand. §. 2, §. 6, §. 7.

Sic porro tisulus quidam ad nos pervenit [1], quo decretum Atheniensium continetur de pecunia sacra deis, Minervae imprimis restituenda, quae rei publicae bello Peloponnesiaco mutua erat data; usurae annuae, quae nominantur, sane perexiguae sunt [2].

In altera inscriptione, quae et ipsa Athenis reperta est (Olymp. 1) pecuniae reliquis praeter Minervam deis debitae et vectigalia, quae pendenda sint recensentur. — Accuratissime eam tractavit Rhangabeus [3]. — Num titulus C. J. 156 huc referendus sit, dubitari potest, videtur autem inesse descriptio summarum mutuo datarum et usurarum. —

Apollinis Pythii quoque opes mutuo datas esse et ex loco Thucydideo [4] apparet, ubi haec verba Periclis leguntur: *εἴτε καὶ κινήσαντες τῶν Ὀλυμπίασιν ἢ Δελφοῖς χρημάτων μισθῷ μείζονι πειρῶντο ἡμῶν ὑπολαβεῖν κ. τ. λ.*, et ex Demosthenis oratione in Midiam habita, ubi vix aliter *ἐκ Δελφᾶν* interpretari possis [5].

Saepius pecunias apud trapezitas, qui usuras certas solverunt, depositas esse, et marmor Sandvic., in quo usurae a privatis solutae (§. 3. *οἵ δε τῶν ἰδιωτῶν τοῖ τόκου ἀπέδοσαν*) et debitae (*οἵ δε τῶν ἰδιωτῶν τὸν τόκον οὐκ ἀπέδοσαν*) enumerantur, et aliae quaedam inscriptiones docent [6].

Denique Rossius monumentum quoddam lapidi inscriptum invenit, cujus in priore parte catalogus rerum pretiosarum in templo asservatarum continetur, quem pecuniae sacrae et usu-

1) C. J. 76., Oec. Ath. II, 51.

2) De usuris pecuniarum e templo Minervae sumptarum cf. Boeckh Abhandlungen d. kgl. Acad. der Wiss. z. Berlin 1846 „über zwei attische Rechnungsurkunden".

3) Rhgb. A. H. 2253.

4) Thuc. I, 143; quocum conferas I, 121 *ναυτικόν τε ἐξαρτυσόμεθα καὶ ἀπὸ τῶν ἐν Δελφοῖς . . . χρημάτων.*

5) Or. XXI, 561 *τούτους δὲ φασιν ὑπὸ τῶν τυράννων ὑπὲρ τοῦ δή μου στασιάζοντας ἐκπεσεῖν καὶ δανεισαμένους χρήματ' ἐκ Δελφῶν.*

6) C. J. 3590; C. J. 159. Oec. Athen. ubi ex Boeckhii conjectura leguntur *Ἀργύριον ἐπὶ τραπέζῃ TTT*, —

rae ex eis perceptae sequuntur [1]; et in titulo Ephesiaco, in quo agitur de pecuniis sacris in Artemisio depositis, etiam haec insunt verba *ἐκ δε τῶν ὀφειλομένων χρημάτων τῇ θεῷ ΜΧΧΗΗ* [2]. —

Hoc unum addam, quum ab hominibus privatis in templis saepius pecunias esse depositas [3] constet, valde verisimile est, similiter eis usos fuisse sacerdotes, atque ita eos templorum opes auxisse. — Nescio an hoc loco sit nominanda inscriptio quaedam Lebadeae [4] reperta, in qua, quantum ex eis, quae servata sunt intelligi potest de pecuniis in Trophonii thesauro a privatis depositis vel dedicatis sermo est. Tam multas enim pecunias ab aliquo oraculum petenti solutas esse mihi non probatur.

Quibus enumeratis restat breviter commemorare magnas opes ab eis, qui oraculum petierunt, datas. Neminem enim oraculum consulere potuisse, nisi muneribus quibusdam oblatis, quis est, quin nesciat. — Quae donaria, quum pretiosissima [5] saepe fuerint tamen hoc loco omittam, quippe quum non reditus sacerdotum vel templorum auxerint, sed ut pecuniae vastae et otiosae jacuerint. Saepe vero, oraculis editis, pecunias esse sacerdotibus datas, jam ex eo concludi potest, quod a Luciano in libello qui Alexander inscribitur, narratur. Oraculum enim Alexander Abomitichi condiderat, et unam drachmam et duos obolos mercedem unicuique responso censtituerat. Quamvis minima haec merces videatur, tamen mirum quam multae inde

1) Rossius iser. in 145 Rhgb. A. H. l. 7 *οἵ δε τόκους ἀπέδοσαν. Πὸβυλὸς Μένανδρος* etc.

Inscriptio Delphica a Weschero edita in Annalibus d. Inst. 1866 num ad pecunias mutuas datas an ad agros locatos spectet omnino incertum est.

2) C. J. 2593. —

3) Cujus rei ubique invenies exempla cf. Thuc. I, 96. Her. I, 52 Thuc. VI, 6 etc. etc.

4) C. J. 1571: *Δσ . . . . σος Πολειτάρχου Δωριεὺς ἐκ Κοτινίου Τροφωνίῳ ἐν τὸν θησαυρὸν Δαρικοὺς στατῆρας ἑκατὸν καὶ δέκα πεντε.* —

5) Her. 1, 14 de donariis a Gyge Delphos missis; I, 50 et Diod. XVI, 56 de Croesi regis muneribus.

pecuniae in templi aerarium redierint, quum quotannis septuaginta vel octoginta millia drachmarum Alexander percepisse tradatur [1]).

In altero quodam templo Ciliciae duos obolos ab eis, qui oraculum adibant sacerdotibus solutos esse idem scriptor refert [2]). — Certe huc pertinent etiam quae de mysteriis Veneris Paphiae traduntur [3]). *ἁλῶν χόνδρος καὶ φαλλὸς τοῖς μεμυημένοις τὴν τέχνην τὴν μοιχικὴν ἐπιδιδόναι. νόμισμα δὲ εἰσφέρουσιν αὐτῇ οἱ μυούμενοι ὡς ἑταίρᾳ ἐρασταί.* —

Deinde Oropi ab hominibus qui ex oraculo in sanitatem restituti erant praeter donaria, nummos quoque, qui in donariis sane figebantur aut in fontem sacrum dejiciebantur, Amphiarao oblatos esse, auctores optimae fidei testantur [4]). —

Si igitur de aliis templis similia tradita nobis non sunt, tamen similem morem permultis in delubris fuisse pro certo habeo.

Sed quum jam in eo simus ut finem orationis nostrae faciamus, eis, quae diximus, addere velimus etiam gregibus qui multi et magni in templorum agris pascebantur, templorum divitias amplificatas esse. — Talia *ἱερὰ βοσκήματα* permultis locis commemorata sunt. Sic Apolloniae [5]) *ἱρὰ ἡλίου πρόβατα* fuerunt; Hyampoli [6]) Dianae pecudes sacrae nominantur, deae matres in urbe Siciliae Minoa cultae praeter agros multos tria millia bovum habuisse dicuntur [7]), denique Argi equae Junoni consecratae erant, quae a Diomedis equis ab Hercule olim do-

---

1) Lucian Alex. 23 *ἐκτέτακτο δὲ καὶ μισθὸς ἐφ' ἑκάστῳ χρησμῷ δραχμὴ καὶ δυ' ὀβολώ. Μὴ μικρὸν δὲ οἰηθῇς ὦ ἑταῖρε μηδὲ ὀλίγον γεγενῆσθαι τὸν πόρον τοῦτον, ἀλλ εἰς ἑπτὰ ἢ ὀκτω μυριάδας ἔτους ἤθροιζεν* etc.

2) Lucian l. l. 19.

3) Clemens. Protrept. p. 10. D.

4) C. J. 1570; Paus. I, 34 *ἄργυρον ἀφεῖναι καὶ χρυσὸν ἐπίσημον ἐστὴν πήγην.*

5) Her. IX, 93.

6) Paus. X, 36, 7.

7) Diod. IV, 80.

mitis ortae tradebantur [1]). — Libenter nonnullis quidem in templis tales pecudes nullam ob aliam causam alitas esse quam ut victimae sacris faciendis eligerentur, concesserim, tamen aliis locis etiam alii usui eas inservisse inde conjicere possumus, quod sacerdotes magnos ex eis reditus percepisse dicuntur. Diodorus enim (l. l.) haec facit verba: *αἱ θεαὶ βοῦς μὲν ἱερὰς τρισχιλίας, χώρας δὲ πλῆθος ὥστε λαμβάνειν μεγάλας προσόδους;* ac nemo, puto, negabit voces *μεγάλας προσόδους λαμβάνειν* pari modo referendas esse ad verba, quae sunt *χώρας δὲ πλῆθος*, atque ad *βοῦς μὲν ἱερὰς*. Et de templo Laciniae Junonis haud procul a Crotone urbe sito, ita loquitur Livius [2]):

„Sex millia aberat ab urbe nobili templum Laciniae Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti silva et proceris abietis arboribus septus, laeta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum deae pascebatur pecus sine ullo pastore; separatimque egressi cujusque generis greges nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore facti etc.“

Quales vero illi reditus fuerint non satis manifestum est. Num pecudes vendiderint sacerdotes vel e lacte caprino et vaccino caseos formandos curaverint (quod in monasteriis fieri solet) dijudicare non possumus nec volumus.

Jam vix est, quod moneam pro sacrificio faciendo sacerdoti certa quaedam tribuenda fuisse [3]), quae *τὰ νομιζόμενα* nominantur ab Aristophane (Plutus), ab Athenaeo [4]) vero et in inscriptionibus [5]) *ἱερωσύνη* id est *τὰ εἰωθότα διδόσθαι ἐξαίρετα τοῖς ἱερεῦσιν; ἱερωσύνη* vero, ait Boeckhius, sunt

---

1) Diod. IV, 15.

2) Lev. XXIV, 3.

3) Qua de re saepius scripsit Boeckhius; cf. imprimis Ind. lect. Berol. $18^{35}/_{36}$.

4) Athenaus IX; 6. p. 368 d cum adnot. Schweighäuseri.

5) Rhgb. no. 816.

quadruplicia, primum certa pecunia (*ἱερείᾳ ἱερωσύνᾳ Γ*), secundum ex hostiis quaedam non edulia (*τὰ δέρματα ἐκ τᾶν...*) tertium pecunia qro certis quibusdam utensilibus pendenda, quartum partes quaedam hostiarum edules (*ἐπὶ τὴν τραπέζαν*)[1]. Et quum aliis locis pelles[2], vel pecunia ex hostiarum pellibus soluta in minoribus tantum sacrificiis concederentur, Halicarnassi sacerdos Dianae Pergaeae ex omnibus publicis sacrificiis pelles accepit et ex privatis alias quasdam hostiarum partes; nam in decreto quodam Halicarnassensi haec leguntur verba:

ἡ δὲ πριαμένη ἱεράσεται ἐπὶ ζωῆς τῆς αὐτῆς καὶ θύσει τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελέα καὶ τὰ ἰδιωτικὰ καὶ λήψεται τῶν θυομένων δημόσια ἀφ' ἑκάστου ἱερείου κωλῆν καὶ τὰ δέρματα τῶν δὲ ἰδιωτικῶν λήψεται κωλῆν καὶ τὰ ἐπὶ κωλᾷ νεμομένα καὶ τετρατημιρίδα σπλαγχνῶν.

Sacerdotium sane hoc Halisarnassense populus locandum seu vendendum curavit ut idem illud decretum docet.

Sed quum quae de dermatico, quod nominatur, dici possunt a Boeckhio accuratissime exposita sint peto a te lector benevole, ut evolvas librum clarissimum de Atheniensium Oeconomia conscriptam. II. p. 126.

Aliis vero sacerdotibus alia erant stipendia, vel munera. Athenis[3] igitur sacerdoti Minervae Poliadis e gente Eteobutadarum creatae, cui summus semper honos est habitus de mortuo quoque capite libero choenix hordei et tritici obolusque offerebatur, item de nato quovis. Mülleri igitur computationem si sequimur sacerdos illa quotannis ducentos medimnos hordei totidemque tritici et sedecim argenti minas accepit[4]).

---

1) Boeckh l. l.

2) Boeckh Oec. Ath. II, 121 sq. — C. J. 158. 157.

3) C. J. 2656.

4) cf. C. O. Müller (Minerva Polias p. 12—15) qui in ea re erravit, quod sacerdotes Eteobutadae ad *Τελεόντων* tribum relatos esse ait; et tamen non minus nobiles putatos esse quam Alcmaeonidas, Codridas. — Pro *Τελεόντων* sane scribendum est *Γελεόντων*.

Pergaeae deinde Dianae sacerdotes Gallorum more stipem collegisse praeter alios Lobeckius exposuit[1]).

Sed hic subsistamus. —

Benevole quaeso, judicetis de hoc qualiscunque est libello meo. —

---

1) Lobeck Aglaoph. I, 645. II, 1092. — Paroemiogr. II p. 448. Tertullian Apolog. 13. ceterum de sacerdotum reditibus conferas quaeso Schoemanni Antiqu. gr. II, 414. —
